
De front. segue le c. c1

3

PIO VI. PONT. MAX.

DOCTORI . PASTORI . EPISCOPO . OECVMENICO
PATRI . PATRVM
CHRISTI . SERV. VICE - BENE. ET . FELICITER
GERENTI . REM-PVBLICAM . POP. CHRISTIANI
QVOD
INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS . MAGNITVDINE
VIRTVTE . AVCTORITATE . QVE . SVA
DAMNATIS . IMPIORVM . LIBRIS
EORVMQVE . DE . REBVS . DIVINIS
PERVERSE . SCRIBENDI . LICENTIA . REPRESSA
ET. MVLTIS. MAGNIS . FIRMIS . SALVTARIBVS. PRAESIDIIS
SVO . CONSILIO . DILIGENTIA . OPERA . COMPARATIS
VERAM. RELIGIONEM. VINDICARIT. ADSERVERIT. PROPAGARIT
FRANCISCVS . KLIMO . NOBILIS . HVNGAR. ROMAE
IN . COLLEG. GERMANICO . HVNGARICO . METAPH. STVD.
THESES . DE . RELIGIONE
DEDICAT . D. N. M Q. E.





BEATISSIME PATER.

Quod hanc meam litterariam concertationem Nomini, Tuo BEATISSIME PATER, *quo non aliud est in Terris sublimius, consecrari vehemen-*

menter optaverim; nec nisi præsidio, patrocinioque Tuo hoc periculum mihi subeundum putaverim, res me potissimum duæ compulerunt, vigilantia, cura, diligentia summa Tua, qua fit, ut hæc de Theologia naturæ studia adversus projectam impiorum hominum audaciam, fallaciasque Pseudo-philosophorum colantur; & humanitas singularis, planeque Paterna Benignitas, qua etsi in isto supremo dignitatis conlocatus gradu, Patruum tamen meum Georgium Klimo Quinque = Ecclesiensem Episcopum dignabare. Nam ut præteream quantum mihi gloriæ accessurum prospicerem, si ejus tegi, ac sustineri auctoritate possem, qui CHRISTI *loco Ecclesiam Vicaria Potestate geris, quantumque decoris, atque ornamenti intelligerem fore, ut in hoc nostrum Collegium redundaret, si rursum splendore Majestatis Tuæ illustraretur, cujus est sæpe egregiis Beneficiis auctum*

cumu-

cumulatissime; ut hæc, inquam, prætercam: ecquem nam alium optassem Studiorum meorum non Patronum modo, sed etiam Judicem, cui uni omnium maxime & rei gravitas cognita, atque perspecta, & nihil antiquius studio Religionis tuendæ, vindicandæ, adserendæ esset, nisi Te, PIE PONTIFEX MAXIME, *qui cum Dux in Domo Domini sis constitutus, nec ignoras, quo impetus hominum iniqua loquentium possit evadere; neque strages, quas hi continenter edunt, aut ferendas, aut dissimulandas putes, neque impune ipsos deinceps furere patiare? Atque cum eorumdem agendi ratio plena stultitiæ, temeritatis, furoris, non leviora solum persequatur, neve tantum ea impetat, quæ fundamenta non attingunt Religionis; verum etiam ex animis hominum Religionem ipsam omnem radicitus evellere conetur; hæc, inquam, pestis, quæ tam late grassari pergit, quì tandem tanti*

Pa-

Pastoris prospicientiam, curam, providentiamque fugeret, qui quærit, investigat, circumspicit omnia, qui strenue resistit improbitati, quem nihil frangat, nihil demittat, nihil terreat, quamlibet grave, difficile, monstrosum esse videatur? Animadvertisti quidem periculi magnitudinem; doluit vehementer Tibi tot libellos quotidiè ex inferis emitti cernere, quibus & potestas, majestasque Principum, & sanctitas, pietas, religio ipsa oppugnantur; cumque id improbos eniti, ac laborare perspiceres, ut dum ipsi latent, operibus suis labem, perniciem, ruinam incautis inferant; quo es invicto animo, fecisti constanter, ut soles, ac fortiter, atque una considerate, sapienterque cavisti, ut ne quis eos libellos impietatis fontes, legere, retinereque auderet; eosque, quos Tibi in sollicitudinis partem vocaras, graviter monuisti, ut primam, potissimamque darent

ope-

operam, *ne quid dolis, versutia, artibus odientium lucem veteratorum, res christiana detrimenti caperet. Scilicet præclaro ingenio, tenaci memoria, assidua lectione librorum, quorum Tibi ingentem copiam parasti, continenti studio Divinarum rerum perspicis quidem certe, quam illi callide, insidiose, fallaciter agant Sophistarum more, quam secum pugnent, uti se tegant, tectique lædant liberius, quam demum facile refelli, atque expugnari possint, nihil ut docto Viro, beneque instituto sit metuendum; at nosti etiam maximum esse numerum imperitorum, maximum item eorum, qui licenter vivant, quibusque novitas placeat, ut cæteris sapientiores esse videantur: quorum priorum verendum vehementer sit, ne rudis simplicitas contortis, aculeatisque sophismatibus in periculum vocetur; reliquorum autom auctoritate, institutione,*

ne,

ne, opera providendum, ne ostentatione licentiæ explendæ cupiditatis concidat, intereatque Religio. Ac operæ quidem, auctoritatisque, quantum hoc in genere præsertim adhibueris, vidimus; institutionis vero rectæ causa S. Thomam Aquinatem, quo nemo solertior, sagaciorque fraudis incredulorum detector, oppugnator validior, gloriosior, feliciorque eversor fuit, Thomam, inquam, Aquinatem Ducem omnibus abs Te, atque Magistrum propositum cum sæpe alias, tum vero imprimis læti cognovimus cum ad D. XVI. *Kal. Junias hujusce anni Comitiis Ordinis Prædicatorum universi præsentia Sanctæ Majestatis Tuæ tantum attulisses decoris, atque ornamenti; tam magnifice incredibili bonorum omnium plausu, de Angelico eodem Doctore locutus es, ut & elegantia, ubertateque orationis, & eruditionis gravitate, ac copia, & magnitudine laudis,*

testi-

testificationes de illo, atque elogia, etsi plane egregia, viceris Pontificum Superiorum. Quare est profecto, cur mihi præcipuæ felicitatis loco ducam, maximoque mihi opere gratuler, quod a Te, qui cum Caput, cum Doctor, cum Pastor Ecclesiæ universæ sis, doctrina, opera, auctoritate Tua strenue causam sustinueris Religionis; Te, inquam, Auspice, Patrono, Judice, mihi ipsi S. Thomæ doctrina munito, contra Religionis ejusdem nefarios hostes, ex hoc amplissimo ad differendum loco, disputare obtigerit. Quæ quidem mea eo est major felicitas, quo plane confidam fore ut qua Patruum meum hominem addictissimum huic Sanctæ Sedi, Tuique, dum vixit, Episcopatumque gessit Quinque-Ecclesiensem observantissimum, complexus es, eadem me, quem ejus exemplorum imitatorem futurum spero, voluntate, benignitate, clementia complectare. Id vero,

ro ut consequar, hanc ille mihi ad Te paravit, munivitque viam. Nam cum ob plurima, atque maxima Beneficia a SANCTITATE TUA *in sese conlata incredibilem in modum devinctum se Tibi esse profiteretur, rationesque investigaret, quibus aliquam memoris, gratique erga Te animi significationem faceret, auctor mihi, suasorque fuit, ut nihil studii, laboris, operæ prætermitterem, quo eam mihi facultatem, eaque præsidia hoc præsertim in genere doctrinæ pararem, quibus non diffiderem hasce me Theses exitu secundo propugnaturum, quas dicari, consecrarique voluerat Nomini Tuo, atque Majestati. Qua de re cum litteras ad Te plenas studii, observantiæque erga Te suæ dedisset, tum non ipse solum illud est gloriæ consecutus, ut Tibi, quæ summa Tua est Humanitas, ejus in fungendo Episcopatu ratio probaretur; sed mihi*

etiam

etiam id honoris, decoris, gloriæ impetravit, ut de Thesibus Tibi *inscribendis annueres, meque Tuo Patrocinio tuerere. Quod si ille repentino interitu ereptus nobis, agere, habereque gratias, ut debuisset, non potuit; acturum me, atque habiturum, si minus, ut debeo, at saltem, ut possum, arbitrabor, si, hoc certamen, Te auspice, initurus, sic pugnem, Duce, atque Magistro Thoma, ut velle Te novi, & vero non diffido, me strenue pugnaturum. Interea ad Pedes me Tuos abjiciens, eosque deosculans, peto etiam, atque etiam, ut institutis, præceptionibusque Tuis obsequenti, atque insistenti mihi, Pontificiam Benedictionem impertiare.*

PROPOSITIONES EX METAPHYSICA.

I. EXistit aliquid ab æterno, ipsis fatentibus Atheis.

II. Illud vero imprimis necesse est, ut id æternum sit suapte natura necessarium.

III. Tum consequens est, ut a re nulla pendeat, nullique sit mutationi obnoxium.

IV. Quia ex re sponte sua fluit, ut quibuscumque sit perfectionibus præditum.

V. At vero nequit materia dici ens illud suapte natura æternum, prout Athei volunt; si enim hujusmodi esset, nulli prorsus mutationi, aut vicissitudini esse posset obnoxia.

VI. Præterea discriminari partes ejusdem inter sese nullo modo possent, sed tota *Homogenea* deberet esse; tum etiam nullo posset motus genere affici, si intrinseca gauderet existendi necessitate.

VII. Itaque contingentem esse materiam multis efficimus.

VIII. Nec quidquam juvat Atheos commentitia illa vis genitrix, aut effectrix a nonnullis Stoicorum, atque a Stratonicis ei tributa.

IX. Multo adhuc minus prodesse ipsis potest Epicureorum inanis absque significatione casus.

X. Cumque intelligamus, non parum Atheis adjumenti afferre sententiam illorum, qui pugnant, esse spatium quid reale, per se æternum, atque immensum; muneris nostri est hunc refutare errorem.

XI. Tum etiam gravissimum alium, qui est de cogitatione materiæ; quam cogitandi virtutem omnino ei repugnare, multiplici argumentorum genere efficimus.

XII. Exi-

XII. Existentibus itaque rebus, neque tamen propria, hoc est independenti virtute; consequens plane est, ut causæ alicujus primæ, atque per se necessariæ virtute existant; cum infinita illa successionum series omni, licet mediocri Philosopho, sit indigna.

XIII. Ergo existit Deus, cui soli tribui, ut causæ, possunt, quotquot existunt res.

XIV. Neque Metaphysica dumtaxat atque Physica argumenta illius confirmant existentiam; sed perpetuus etiam universalisque Gentium omnium consensus, cui plurimum ad probandum inesse virium constat.

XV. Sunt e contra Cartesii demonstrationes ad rem hanc efficiendam adeo ineptæ, ut merito viris doctis visum sit minui potius, quam confirmari tantæ rei certitudinem.

XVI. Primum autem illud est Dei omnino proprium, ut necessario, suaque ipsa natura ab æterno existat.

XVII. Deinde ut sit omnino simplex, hoc est omnis prorsus compositionis expers, & corpore vacans.

XVIII. Adeoque portenti loco habenda est veterum Pantheistarum a Spinoza renovata opinio.

XIX. Perfectissima ei debet inesse scientia, qua omnia prorsus in semetipso cognoscat, hoc est, in suo decreto omnia cognoscat tum necessario, tum contingenter, tum libere eventura; possibilia vero in sua cognoscit essentia.

XX. Inest item ei voluntas, quæ perfectissima est prædita libertate, quoad ea, quæ alia ab ipso sunt.

XXI. Huic inest incircumscripta agendi virtus, & potentia ea pertingens omnia, quæ nullam involvunt pugnam.

XXII. Porro Leibnitium, & Wolfium reprehendimus, qui veteres nonnullos secuti, præsentem mundum possibilium omnium perfectissimum dixerunt; adeo, ut Di-

vinæ

vinæ Sapientiæ repugnare, affirmarint, alium condere perfectiorem.

XXIII. Necesse tandem est, ut omnes omnino Deo insint perfectiones, ratione eo digna, hoc est, infinita.

XXIV. Ad actionem Dei *transeuntem* quod pertinet, primo loco consideranda, ac propugnanda sese offert rerum omnium ex nihilo creatio, quam irrito conatu Atheistæ omnes, ac nonnulli Deistarum moliuntur evertere.

XXV. Nec creavit Deus solum res omnes, sed etiam mirifica regit, ac moderatur Providentia, quæ etsi præcipue homines respiciat, cetera tamen non prætermittit.

XXVI. Est itaque Deus rerum omnium absolutissimus Dominus, nilque effugere vim potestatis ejus potest.

XXVII. Igitur colendus ab homine est tum interni, tum externi cultus actibus.

XXVIII. Qui cultus, ne facile certoque in turpem, improbumque evadat, non est hominum arbitrio dimittendus.

XXIX. Delirant ergo qui Religionem dicunt esse hominum versutorum, vel potentum inventum.

XXX. Ex mirabili illa modo memorata Dei Providentia, absolutaque Potestate sequitur, ut contulerit omnibus hominibus naturalem legem, quæ est *legis æternæ participatio in rationali creatura*.

XXXI. Est enim homo vera præditus arbitrij libertate, adeoque legis, & præceptorum capax.

XXXII. Constat nimirum, existere quædam suapte natura bona, vel mala; eorumque nonnulla sic esse omnibus explorata, ut penitus obliterari, aut deleri a cordibus hominum nequeant.

XXXIII. Lex illa, quoad præcipua ipsius, & universalia mandata, nullam potest mutationem proprie sumptam subire.

XXXIV. Ita-

XXXIV. Itaque qui legis istius præceptis non obtemperat, Deo irrogat injuriam.

XXXV. Sequitur adeo, ut cum in hac vita homines debitas non referant pœnas, aut præmia pro bene, vel male gestis, alter supersit vitæ status, in quo digna eis retribuantur pro meritis.

XXXVI. Homo etenim præditus est anima spirituali, omnique materia experte.

XXXVII. Quam idcirco etiam immortalem esse, gravissima, certissimaque a ratione desumpta argumenta confirmant.

XXXVIII. Cumque homo neque sola sit anima, neque solum corpus, sed ex utroque compositus; est Divinæ æquitati, ac Providentiæ maximopere congruum, ut tum anima tum corpus debita afficiantur in altera vita vel poena, vel præmio.

XXXIX. Nihil enim habet rationi contrarium, nihil quod Divina virtute, justitiaque minus dignum sit, ut mortuorum corpora resurgant.

XL. Hoc vero, hujusque similia divinæ religionis dogmata, quæ certe rationis lumini non adversantur, attingi, sine revelatione Divina, cognoscique non possunt.

XLI. Turpissime idcirco eam rejiciunt Deistæ, quasi repugnantem, minimeque humanæ naturæ accommodatam.

XLII. Atque cum enti perfectissimo Deo plurima inesse attributa, perfectionesque debeant supra humanæ mentis vim omnino positæ; est Divina Revelatio prorsus necessaria, ut illas existere cognoscamus.

XLIII. Hanc existere revelationem imprimis efficimus ex mirifica ejusdem revelationis hoc est Christianæ Religionis propagatione.

XLIV. Deinde ex incredibili Martyrum multitudine sævis-

ſæviſſimis eam cruciatibus, atque morte conſtantiſſime confirmantium.

XLV. Poſtremo ex innumerabilibus, certiſſimiſque miraculis in ejus teſtimonium patratis.



DEFENDET . FRANCISCUS . KLIMO
PRÆSIDE . F. LUDOVICO . CIVINI
ORDINIS . PRÆDICATORUM
ROMÆ. IN CONLEG. GERM. HUNG. METAPH. PROFESSORE
KALENDIS . SEPTEMBRIBUS . AN. MDCCLXXVII.



AD-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Franc. Ant. Marcucci ab I. C. Epiſc. Montis Alti Viceſgerens.

ADPROBATIONES.

EGO infraſcriptus ex auctoritate Reverendiſſimi Patri Thomæ Auguſtini Ricchini S. P. A. Magiſtri accuratè perlegi Librum cui titulus *Exercitatio metaphyſica adverſus Religionis oſores præcipue Atheos* doctè conſcriptum; cumque nihil in eo deprehenderim, quod catholicis Dogmatibus, aut bonis moribus adverſetur, dignum omnino cenſeo, qui in manus hominum quam citiſſime perveniat. Romæ 16. Auguſti 1777.

Stephanus Borgia S. Congr. de Propaganda Fide a ſecretis.

VEROS Religionis Amatores, qui exitioſam perditorum hominum conjurationem longe lateque hac noſtra ætate patentem, atque perniciem rei Chriſtianæ publicæ minitantem, conantur retundere, eodem plane confutationis genere uti apprime decet, quo Majores noſtri uſi ſunt, quum illos refellerent, qui humana Sapientia ad divinam evertendam abutebantur: quandoquidem arma improbis extorſerunt e manibus, iiſdemque telis petierunt Adverſarios, quibus hi veritatem audacter magis, quam perite oppugnabant. Idipſum egregie præſtitit Author Operis, cui Titulus *Exercitatio Metaphyſica adverſus Religionis oſores, præſertim Atheos,*

Atheos, quod ex auctoritate Reverendissimi Sacri Palatii Apostolici Magistri lubentissime legi, admiratusque sum imprimis præstantem illius in hoc scientiarum genere facultatem, qui tantas res, tot pravis pseudo-philosophorum erroribus implicitas brevi hac exercitatione comprehenderit. In qua quum nihil animadverterim Orthodoxis Dogmatibus non apprime consonum, venire eam posse in hominum manus typis editam, & vehæmenter assentior, & perutile futurum confido.


Romæ 19. Augusti 1777.

Dominicus de Sancto Petro S. Fidei Promotor:

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacr. Palat. Apost. Magist.

EXERCITATIO
METAPHYSICA
ADVERSUS RELIGIONIS OSORES
PRÆCIPUE ATHEOS.



ROMÆ MDCCLXXVII.



Excudebat Archangelus Caſaletti.

Præſidum facultate.



EXERCITATIO METAPHYSICA

PROLEGOMENON

DE INCREDULORUM PHILOSOPHIA GENERATIM.

I. IN tanta librorum copia, qui his annis paucis adversus Divinam Religionem, non dico, in lucem hominum prodierunt, sed velut

„ crepitans salit horrida grando „. (1)

irruperunt; quamquam eorum Auctores alii aliam oppugnandæ Religionis viam sunt aggressi; tamen una fere omnium communis vox est, propositum sibi esse humanum genus superstitione, ac fanatismo, quem vocant, affusa Philosophiæ luce, liberare (2). Quasi vero facinus præclarum sit, eo nomine, quod cujuspiam ædis mundandi parietes sint, ædes ipsas diruere; aut quasi permutatione vocabulorum invidiosa, rerum ipsarum discrimen auferri sic posset, ut a religio-

A

(1) Virgil. 1. *Georg. v.* 449.

(2) Id cum Bælius, Rousseojus, Voltæreus, aliique horum similes passim, atque ad nauseam usque jactitent; tum Voltæreus tragædiam etiam edidit inscriptam *le Fanatisme ou Maomet premier*; quam Alembertus, eadem fortasse schola Philosophus, magnis effert laudibus in *Lettre a M. Rousseau*.

ligione superstitio non secerneretur. Itaque suæ ætatis impios similiter, ut hodierni faciunt, vocabulis abutentes, Cicero (1) deridebat inquiens „ superstitione, quod gloria- „ ri soletis, facile est liberare, quum sustuleritis omnem „ vim Deorum „. Ac hodierni quidem utrum superstitioni ejiciendæ, quod honeste ab se fieri videri volunt, an, quod impudentissimæ insaniæ est, delendæ religioni studeant, satis declarant ipsi, quum Divini Numinis existentiæ argumenta elevare conantur (2), quum Atheorum non modo ostentant magnum numerum, sed longe majorem vero fingunt, eorumque virtutes, ac felicitatem narrant (3); quum Summi Numinis providentiæ, bonitati, sanctitati detrahunt (4); quum honesti, ac turpis discrimen auferre dant operam (5); denique quum non solum omnem cultum Divinitatis de medio tollunt; sed etiam quo magis possint tollere, nihil homines inter, ac bruta differre prædicant (6). Sa-

(1) *Lib.* 1. *de nat. Deor.*

(2) Bayle Dictionaire art. *Lucretius*, & alibi sæpe; *Telliamed*; Auctor *Systém. de la nature* in *præfat.*, & *par.* 1. *cap.* 1.; Voltæreus *Remarques sur les pensées de M. Paschal*; aliique permulti, quos longum esset commemorare.

(3) Totus in eo Bælius est, ut Atheorum & numerum augeat, & felicitatem commendet: Vid. *Continuat des Pensées diver tom.* 3. *Operum par.* 1., & alibi passim. Assentitur eidem Diderotus *Pensèes Philosophiques pag.* 5. seqq. edit. *A la Haye* 1746. Castigant eum permulti; sed videatur præsertim Jo. Christ. Wolfius *dissert. de Atheismo falso suspectis*; & Mr. Bernard. *Nouvel de la Republ. letter* 1705.

(4) Horret animus ea commemorare, quæ ementitus Mirabous *Systeme de la nature* furens scribit. Vid. Mr. Holland *Reflex philos sur le systeme de la Nature*; & Cl. Valsecchium *la Religion vincitrice*. Sed & Voltæreus talia habet, quæ legi absque indignatione, detestationeque non possint. Confer *le Roman de l' Hermite*; *Poeme sur le desastre de Lisbonne*; *Songe de Platon*. Et *Diction. Philos. Art. Chaine des Etres*.

(5) Vincunt obscœnitate ceteros, duo, *l' Esprit*, & *Code de la Nature*.

(6) Comperta est Helvetii imprimis dementia, discrimen totum inter homines, ac Bruta in sola membrorum structura ponentis. Assen-

Sapientes videlicet, ac religiosi superstitionis profligatores! „ Ludimur nempe ab hominibus istis, non tam facetis, quam „ ad scribendi licentiam liberis „ (1). Quo minus necesse est etiam de fanatismo respondere, cujus immo invidiam recte in ipsos Cudwortus (2) retorquet. „ Genus, inquit, „ eorum, qui stultum, & præceps consilium susceperunt nihil credendi, nisi quod ipsimet sentirent, aut viderent, „ *Fanaticorum familiam* vocari posse puto; ne iis quidem „ exceptis, qui rationis studiosi videri volunt, certo sensu „ *Fanatici*, & *Enthusiastæ* rectissime nominantur. Nam ut „ tam nefariam sententiam conciperent, cœcus quidam, & „ rationis expers impetus concitavit „. Quos adeo Moshemius (3) merito iis comparat, qui sunt de statu mentis dejecti.

II. Nam quod Philosophiæ sibi laudem arrogant, atque hac se jactant (4), antequam de singulis doctrinæ capitibus

sentiuntur Auctor *du Systeme de la Nature*; omnesque Materialistæ: neque est prætereundus Voltæreus (quid enim scriptum a ceteris est contra præcipua religionis capita, quod hic non avidissime adoptaverit?) Vid. *Dictionaire Philos. Art, Ame, Betes, Matiere*; & *tom.* 7. *Opp. Chap. sur. Lock. pag.* 276., & *sur l'Ame pag.* 279.

(1) Cic. *lib.* 1. *de nat. Deor.* loquens de Epicuro, *cujus etiam liber erat de sanctitate*.

(2) *Systen. intellect. cap.* 3. §. 29.: idcirco ab Dideroto loc. cit. *pag.* 34. reprehenditur Cudwortus; copiose enim, invicteque Dei egit causam.

(3) In eumdem Cudworti locum:

(4) Omnes fere hi Pseudo-philosophi, eo nomine libellos suos voluerunt inscriptos, ut si minus re, voce saltem viderentur Philosophi. Vid. *Lettres philosophiques*: *Le Philosophe petit-Maitre*; *Dictionaire Philosophique*: *Le Philosophe Moral*; *Le Militaire Philosophe*; *La Philosophie du bon sens*; *Pensées Philosophiques La Philosophie de l'histoire*; *Melanges Philosophiques &c.* ut plurima omittam ab inferis emissa opuscula, in quibus maximopere Philosophia gloriantur quotquot adversus Religionem scripserunt; adeo ut Religionem impugnare, ac Philosophiam profiteri, pro eodem ab his videatur haberi. Consulatur *Jo. Alb. Fabricius in delectu argumentor. de verit.*

tibus cum iis congrediamur, placet heic initio ipso, qualis eorum Philosophia sit, atque an gravissimo hoc digna nomine, tantisper disquirere. Ac philosophiæ quidem universæ, hoc est Sapientiæ studii, cum illa sit prima regula, ut ne de rebus non satis cognitis temere judicium feratur (1); tum contra novi isti, *si Superis placet*, Philosophi, mirabile dictu est, de rebus, quas vix, aut ne vix quidem attigerint, qua confidentia decernere non vereantur. Quod vitium plerisque eorum commune, singularem tamen in modum in scriptis Voltærei tam multis passim cernitur (2), hominis repente ex Poeta Philosophi facti, ignari autem inter poeticam facultatem, & Philosophiæ scientiam quantum differat, quem aptissime Tulliana (3) illa reprehensione perstrinxeris. „ Hic quidem hæc magistro concedat Aristo„ teli; canere ipse doceat „.

III. Sed partes ipsas philosophiæ breviter percurramus. Atque ut mittam Physica, quæ hi fere non ad tractandum sumunt, verum ut sibi quisque commodum esse arbitratur, tantummodo attingunt, non ut ex sua officina proferentes, sed ut mutuati ex aliena; dialecticæ quidem, qua veluti sepimento quodam Philosophiam universam vallari (4) necesse est, & quæ in omnibus disciplinis regnare debet, disserendi ratio, veri, & falsi judicandi scientia, & ars intelligendi quid quamque rem sequatur, & quid sit cuique contra-

verit. Relig. Christ. ubi innumeri afferuntur Scriptores egregii adversos hos philosophiæ corruptores pugnantes.

(1) Est id per se exploratum, estque omnino indignum in quocumque; at in eo qui sapientiam profiteatur, turpissimum statuit esse Cic. tum *lib.* 1. *de Nat. Decr.*, *tum* 1. *Tusc. qq.*, *&* 1. *de Offic.*

(2) Confer *Lettres sur les vrais principes de la Religion.* tom. 2. pag. 196.; & *l'Oracle des nouveaux Philosophes* tom. 1; *Voltaire parmi le Ombres*; Nonnotte *les erreurs de Voltaire*, M. l' Abbe François *Observations sur la Philosophie de l' histoire*, *&* *le Dictionaire Philosophique*.

(3) *Lib.* 1. *Tusc. quæst.*

(4) *Idem lib.* 1. *de Legibus*.

trarium ; hujus, inquam, ecqua demum in eorum libris ſeu monumenta, ſeu veſtigia reperiemus? Qui nihil tam cavent, quam ne ſibi ipſis ulla in re conſtare videantur. Bælii quidem vulgo cognitus eſt ſcepticiſmus (1), hoc eſt perpetuum ſtudium non illuſtrandi colligatione, conſenſioneque ſententiarum, ſed ſophiſtica in utramque partem ſubtilitate implicandi, atque obſcurandi veri; ut ne iterum Voltaereum memorem, quem alius ex eodem grege Philoſophus fatentem vere inducit, ſe minime ratiocinari (2). Sed neque neceſſe eſt, neque vero vacat heic plures nominatim perſequi, quan-

(1) Vid. Mr. Crouſaz *Examen du Pyrrhoniſme ancien, & moderne*: Mr. Formey *le Triomphe de l'evidence* ceteroſq. fere omnes pro Religione certantes. Imprimis vero Mr. de Bougainville qui *Anti-lucrece tom.* 1. *eloge de M. le Cardinal de Polignac pag.* 141. ea ex Bælio ipſo refert, quæ nullam dubitationem relinquunt, quale nobis ſit de eo ferendum judicium. Nam ſemel iterumque Bælius a Poliniaco rogatus, quam nam ipſe profiteretur religionem inter multas, quæ tum in Belgio erant (erant vero, ſuntque modo fere omnes) tandem reſpondit. „ Oui, „ Monſieur, je ſuis bon Proteſtant, & dans toute la force du „ mot; car au fond de mon ame, „ je proteſte contre tout ce qui ſe „ dit, & tout ce qui ſe fait „ O vere dignus qui in tantorum hominum admiratione, plauſuque ſit! Vid. *Le trois ſiecles de notre litterature tom.* 1. *pag.* 86. „ Le travers „ ordinaire de ces Eſprits verſatils „ ſont des objections en reſponſe à „ des objections; des doutes pour „ combattre d'autres doutes „ &c. Confer M. Haller *diſcours preliminaire a le triomphe de l'evidence par Mr.* Formey; & P. Caſtel *l' homme moral opposé a l' homme phyſique*; ubi accuratiſſimum præbet de Bæliano dictionario judicium.

(2) *Lettre* 5. *ècrite de la Montaigne*: „ Je ne raiſonne pas moi; „ cela eſt vrai „ Idem Voltæreus in re graviſſima leviſſime, ac pueriliter argumentorum loco jocis armatus, pœnarum in alia vita ab impiis luendarum veritatem, quam ratione oppugnare non poſſet, hoc ſcommate adortus eſt *Poeme* ſur la *Religion naturelle* 3. *part.* Lectorem alloquens.

„ Reſpéctè ces mortals, par-
„ donne a leur vertù,
„ Il ne t'ont point damnè; pour-
„ quoi les damnes tu?

Innumera poſſent afferri his ſimilia, niſi exercitationis hujus brevitas vetaret. Vid. Nonnotte *les erreurs de Voltaire, & Voltaire parmi les Ombres*.

quando de præclaris iſtis Philoſophis omnibus illud a viris doctiſſimis (1) atque diligentiſſimis animadverſum eſt, locisque eorum in medium adductis plane ad veritatem demonſtratum, ſolere eos non conſiderare, ſed ſortiri quid dicant; & a principiis progreſſos plerumque falſis, ſæpe incertis, ac dubiis, in perpetua quadam inconſtantiæ, ac levitatis pugna verſari (2); ita ut, quum diſciplinarum omnium

(1) Conſulendi imprimis ſunt Cudwortus, atque Moshemius: Vid. Cl. Valſechius *la Religion vincitrice*, Buddeus de Atheiſmo, aliique permulti quos eruditus P. M. Fabricy *Diſcours ſur la Révèlation* &c. diligentiſſime recenſet. Deſcribit autem hos novos Philoſophos anonymus Auctor *Lettres ſur les vrais principes de la Religion* tom. 2., *lettr.* 1. *ſur la nature de notre Ame*, hoc modo „ Repreſentez-vous un homme qui parle „ avec feu ſur des matieres qu' il „ n' entend pas .... voila quel eſt „ le nouveau Philoſophe „. Et Mr. De Bougainville *l' Antilucrece diſcours preliminaire* pag. 60. „ La „ plupart libertins, ſan être Philoſophe; entraînès par la fougne „ de l' âge, & des paſſions .... „ jamais ils ne conſiderent ni le „ motifs, ni les fondemens de „ leur opinion &c. „ Dignus omnino eſt ut legatur Mr. l' Eveque du Puy *la Religion vengée &c.* qui ut novorum Philoſophorum imperitiam, levitatemque egregie oſtendit, ſic effugere non potuit Voltærei indignationem duabus Epiſtolis illis *Lettres d' un quakre* felle, atraque bili, incredibilique inſolentia ſcriptis. Extant etiam Gallicani Cleri egregium, hac de re monumentum, ab Hiacynto Cerruti italice redditum, multaque inſignium virorum ſcripta, quæ potius *Philoſophiæ parricidas*, ut Cic. his ſimiles vocat *l.* 5. *Tuſc. quæſt.*, quam ejuſdem cultores, profanos iſtos homines eſſe oſtendunt.

(2) Vid. *Lettres Flamandes, ou Hiſtoire des variations, & contradictions de la pretendue Religion naturelle*: & J. Leland *Analyſe des principaux Ecrivains Dèiſtes .... avec des obſervations ſur leurs Ouvrages &c. Lettres ſur les vrais principes de la Religion tom.* 2. *pag.* 282. ubi totam iſtorum philoſophandi rationem in hoc ponit „ raiſonner a l' avanture, ou ti„ rer de principes incertaines, des „ concluſions egalement incertai„ nes „. Huc etiam pertinet Moshemii in Cudwort *c.* 5. §. 45. *ſyſt.* intell. locus. „ Hi diſputatores id „ ſibi ſumunt de quo inter partes „ quæritur, quod vitioſiſſimum „ eſt .... Quid ergo eſt illud in quo „ tantopere ſe ſe jactant homines „ iſti? Num demonſtrationum „ con-

nium facultate glorientur, dialecticæ tamen facultatis laudi nuncium ſponte remiſiſse videantur (1).

IV. Nam de hominum officiis, de vitæ, ac morum inſtitutione, quid dicam? Quæ videlicet totius Philoſophiæ pars longe præſtantiſſima eſt, & potiſſimam nominis, ac diſciplinæ laudem continet, quæque docet „ bene vivendi „ rationem tenere ..... virtutum, peccatorumque corre„ ctionem afferre ..... mederi animis, cupiditatibus libe„ rare, inanes ſollicitudines detrahere „ (2): uno verbo, quæ Philoſophum conſtituit *Magiſtrum virtutis* (3). Cum hoc vir-

„ concluſio principiis nixa nec ob„ ſcuris, nec dubiis? Ne ipſi qui„ dem hoc dixerint. In re autem „ tanti momenti num viri ratione „ præditi eſt, conjecturis quæ nos „ fallunt, quotidie certare &c. „ His ſimilia multa afferri ex Bælio ipſo poſſent maxime Art. Spinoza, niſi quæ repræhendit in ceteris, in illis ipſe peccaret. Vid. *Le Vrai Philoſophe ou l' uſage de la Philoſophie par. 2. ch. 7.* Si quis vero inconſtantiæ Rouſſeoji ſpecimen velit aliquod, legat *Emile tom. 3. pag.* 26. 50. 61. 77. ſeqq. intelligetque quam falſo non ita pridem dictus fuerit *Philoſophorum maximus*. Vid. *Preſervatif pour les fideles contre les ſophiſmes, & les impiétés des Incredules &c.* Paris 1764. & M. L' Abbe Bergier *Le Deiſme rèfutè par lui meme*.

(1) Vid. *Voltaire parmi les Ombres*, & Valſecchi *dei foudamenti della Religione tom. 3. par. 2. cap. 1.*; & *la Religiou Vincitrice*: Mr. De Haller. *Diſcours preliminare a le Triomphe de l' Evidence par Mr. Formey* tom. 1.; & Illmus Gerdil *recueil de diſſertations*.

(2) Cic. *L. 1. de Offic.*, *& 3. Tuſc. qq.*

(3) Idem *lib. 3. de Oratore*. Videndi ex antiquis Plato *de legibus* paſſim: Ariſtoteles *lib. moralium*: & *l. 1. Metaph.*, quem in locum ea habet S. Thomas *lect. 2. & 3.* quæ neminem præterire philoſophantem deberent. Alcinous *de definitionibus Platonis*: Plotinus *Enneade 1: & ſeqq.* Plutarcus *de genio Socratis, & in Colotem*: ex recentioribus legi poterunt Jo. Alb. Fabricius *de verit. Relig. Chriſt. c. 10.*; Huetius *quæſt. Alnet*; paſſim; Tobias Pfannerus *Syſt. Theol. Gent. c. 1.*; Bruckerus *diſſ. prelim. hiſt. crit. philoſ. l. 2. p. 2. c. 10.*: Deſnel. *les prejuges des anciens, & des noveaux philoſophes*. Et quidem hos Pſeudo-philoſophos univerſi ſuſcepiſſe orbis magiſterium modeſtiſſime, ut ſolent, ipſi teſtantur, quos inter Auctor libri *Le Moe-*

virtutis, ac vitæ magisterio, hoc est cum Philosophiæ notione, conferat jam qui velit Montaignii, Helvetii, Mandevillii, Boulangerii, Marchionis d'Argens, Voltærei, aliorumque (1) impudentem obscoenitatem; conferat Helvetii rursus, auctorumque tum libri *Systeme social, ou principes naturales de la morale, & de la politique*; tum *Systeme de la nature*, quem humanæ naturæ probrum recte appellaveris, dogmata, virtutem, ajentium nomen inane esse, cui nulla subjecta sit certa notio (2); conferat Spinozæ, Hobbesii, Tolandi placita, quibus, juri repente de medio sublato, vis substituitur; Rouffecj (3) item, aliorumque (4), quibus ordines, gradusque hominum, hoc est civilis societatis, ac pacis munimenta funditus convelluntur; neque id solum, sed totius etiam civilis imperii majestas, ac dignitas, publicæ felicitatis, ac pacis necessarium fundamentum diruitur (5): conferat

Moeurs avertis pag. 8. „ j' ecris „ pour les quatre parties du Mon„ de „ &c. Voltæreus autem, vel ipsos curare a præjudiciis mortuos sibi polliceri videtur: Confer *Voltaire parmi les Ombres Preface pag.* 1.; aliique plures hoc sibi arrogant munus, quos egregie castigat Valsecchius *La Religion vincitrice differt.*1. *dello spirito filosofico.*

(1) Plurimos recenset alios Cl. P. Fabricy *Discours sur la Revelation chap.* 1.

(2) Valsecchi *la Religion Vincitrice*.

(3) *Discours sur l' inegalitè parmi les hommes*: rursus *contract social* ubi etiam Hobbesium multis laudat.

(4) Maxime omnium Auctorum, *Le Code de la Nature, ou le veritable esprit de ses Loix, de tout temps nègligè, ou mèconnus; & du systeme Social, ou principes naturales de la Morale, & de la politique*, qui Spinozæ, Tolandi, aliorumque seditionis, ac furoris monumenta in suum librum, veluti in communem cloacham collegit; atque, ne quid ad impudentiam deesset, Epicuri, Lucretii, ceterorumque effæminatorum obscœnitatem eodem contulit. Vid. M. l' Abbé Gauchat *tom.* 16. *lettre* 158. *seqq.*; *& la Religion vengèe, tom.* 17. *lettre* XI. *seqq.*

(5) Inter ceteros Voltæreus *Ode au Roi de Prusse tom.*6.; *O de sur la Paix ibid.*, *Epitre a M. de Cideville ibid.*; *Micromegas allegorie to.*8. aliisque passim locis, injustitiæ, immanitatis, tyrannidis, ingrati ani-

ferat hæc, inquam, qui voluerit, ac tum demum ſtatuat, ſintne hi magiſtri idonei vitæ, atque an Philoſophorum nomen putet in eos apte cadere. Mihi quidem tam exploratum eſt, ut, quum in tanta non Philoſophantium licentia dico, ſed furentium impudentia, tamen partim plaudi eis, partim etiam alicubi honores decerni videam, veniat in mentem invidere non Romanis modo, apud quos, repertis ſub Janiculo libris „ qui ad ſolvendam religionem pertinere „ exiſtimabantur ...., ex auctoritate Senatus per victima- „ rios igne facto, in conſpectu populi Prætor urbanus cre- „ mavit „ (1); ſed Meſſeniis etiam, Lyctiiſque, quorum alteri Epicureos falſo Philoſophiæ nomine peſtem moribus, ac civitati exitium inferentes de ſuis finibus ejecerunt; alteri exquiſitis etiam ſuppliciis a Reipublicæ cervicibus arcendos putarunt (2).

V. Venio ad horum metaphyſicam, hoc eſt ad eorum-

animi, ambitionis redarguit Reges, ne illo quidem excepto, quem alibi ſupra Titum, Trajanum, Antoninum, & M. Aurelium laudibus extulerat: idemque populos, quod eis obtemperent, imbecilles, ac ſtultos vocat, modiſque omnibus ad ſeditionem commovet. O virum digniſſimum, cui ſtatuæ honor decerneretur!

(1) Valer. Maxim. *Dictor. factor. memor. lib.* 1. *cap.* 1.; quo loco, & ſeqq. multa præclara, atque imitatione digniſſima ſcribit tum a Romanis, tum ab aliis nationibus decreta, ſancitaque fuiſſe pro Religione, pro cultu, pro honeſtate, pro auctoritate Reipublicæ, pro fidelitate, ſocietateque bene morata ſervanda.

(2) Jo. Alb. Fabricius *de verit. Relig. Chriſt. c.* 14. refert ex Suida „ ejectos Epicureos ante ſolis occaſum ex agri Meſſenii finibus; „ iiſque pulſis a Sacerdotibus luſtrari fana „. Lyctii autem talem legem ſcripſerunt: Epicu- „ rei ſapientiæ effæminatæ, & „ degeneris, & turpis inventores, „ diiſque inviſi, per Preconis vo- „ cem Lycto excedere jubentor: „ & ſi quis eorum contempta lege „ in poſterum huc venire auſus „ fuerit, prope Prætorium per 20. „ dies nervo vincitor, nuduſque „ lacte, & melle perfunditor, ut „ apes, & muſcas paſcat, & in- „ tra dictum tempus ab illis con- „ ſummator. Si vero poſt tempus „ illud adhuc ſuperſtes fuerit, mu- „ liebri veſte indutus de rupe præcipitator. „

rumdem Pseudo-philosophorum, si ipsos audiamus, arcem, ac veluti castra, re autem vera temeritatis campum, insignibus redundantem vanitatis, inconstantiæ, inscientiæque monumentis (1). In quo illud primum mirabile est, quod quum se philosophicæ lucis tamquam phosphoros profiteantur; in hac tamen tanta jactatione nihil fere afferunt, quod non multis ante seculis a Scepticis, a Pyrrhonicis, maximeque ab

(1) Plerosque istorum Pseudo-philosophantium *adumbratæ*, *temerariæ*, *inconsideratæ imaginis gloriæ* (ut Cic. *Tusc. qq. l.* 2. vocat) cupiditate permotos, tanta improbitate philosophatos fuisse, testati eorum nonnulli sunt, quos inter Voltæreus *Temple du Gout*; & passim alibi; & Montesquieu in errorum suorum recantatione, cujus affert verba Nicolai *ragionamento* 9. Affert etiam Mr. L'Abbé François *tom.* 2. *Observations sur la Philosophie de l'Histoire &c. pag.* 237. Epistolam cujusdam sincere fatentis difficultates a se contra existentiam Dei oppositas ab sua fuisse ignorantia profectas. „ Je ne suis point „ Theologien ...... il n'est donc „ pas étonnant que je me sois laissé surprendre par les apparences d'une fausse lumiere. Lorsque dèpourvu d'une pénètration assez étendue, on n'envisage les objets que d'un seul côtè, sans considérer celui qui lui est opposè, & sans les combiner ensemble, si l'on précipite alors son jugement, on court grand risque de prendre l'erreur pour la vèritè „ &c. Et hoc quidem subierunt periculum tam multi Pseudo-philosophi hac nostra præsertim ætate; qui si non, ut iste, propriam sunt ignorantiam confessi, ea unice caussa fuit, qua & majori hoc audacia tument, & minori sunt eo sinceritate prædìti. Id ostendit Formeyus de Bælio ex verbis ejusdem *tom.* 2. *triomphe de l'evidence sess.* 1.; ac tandem evincit eorum scribendi ratio superba, insolens, temeraria. Sumatur ejus rei experimentum, si fieri tranquille possit, in Auctore *du systeme de la Nature*: *Recherch. philosoph sur les Americains*: *Hist. philosoph., & politiq. des etablissement, & du commerce des Européens dans les deux Indes*. Ac quoniam metaphysica imprimis, ut ajebamus, insignes isti Spiritus gloriantur, videant an non ea sit metaphysica ipsorum, quam rectissime describit Condillacus *Essai sur l'origine des connoissances humaines, preface*; *ambitiosa*, *audax &c.* Confer *Le Philosophe moderne, ou l'incredule condamnè au tribunal de sa raison par M. l'Abbé le M. D. E. Paris* 1765.

ab Epicureis (1) prolatum, a gravioribus autem Philosophis (2), atque a Christianæ Religionis Apologistis perspicue refutatum non sit (3); quas quidem refutationes mercium jamdiu obsoletarum, si ignorant, profecto vacuos se a doctrina produnt; sin callide dissimulant, vanos, & fraudis plenos. Itaque merito ab recenti scriptore anonymo (4) deridentur, festive animadvertente, dedisse eos operam objectionibus addiscendis usque ad responsionem *exclusive*. Multo autem magis alienum a Philosophi instituto, imprimisque a metaphysicæ accuratione est, quod plerique

 ho-

(1) Speciminis loco esto, quod de libro *Systeme de la Nature* Valsecchius *la Religion vincitrice c. 1. seqq.* Lucretii sententiarum cum ejus Auctoris sententiis comparatione instituta, digito ostendit, inter utrasque hoc modo unum interesse, quod quæ multo elegantissime, nec sine aliqua honestæ verecundiæ specie Lucretius attulerat, eadem sine elegantiæ laude, & cum impudentia nunc alter retulerit. Confer etiam doctum Holland *Reflex. Philos. sur le systeme de la Nature*. Ostenderat vero jam id Cudwortus *syst. intell. c. 1*; ac confirmaverat Moshem., nihil a Spinoza, Hobbesio, ceterisque blasphemo ore contra Religionem prolatum, quod non veteres aliqui in tanta ignorantia, errorumque caligine non castigatius dixerint: adeo ut jure Mr. de Bougainville *l'Antilucrece disc. prelim. pag. 62.* vocaverit „ Vils plagiaires, co„ pistes des Anciens dont ils n'ont „ fait que déguiser les sentimens,„ idque breviter ostendit, veterum recentiorumque instituta comparatione. Fatentur id istorum nonnulli, quos inter unicum afferam Mr. Robinet *preface de la nature*„ Ce „ n'est pas que j'aye pretendu „ dire du neuf; le Monde est trop „ vieux pour rien apprendre; e „ je suis venu trop tard pour oser „ rien tenter de pareil „ &c. Vid. „ le Pere Richard des FF. Precheure *la Nature en contraste. Paris* 1773. *pag.* 5.

(2) Longum esset commemorare viros doctos invicte prorsus adversus incredulorum turbam pugnantes; legi vero facile possunt apud Jo: Alber. Fabricium *De verit. Relig. Christ.*, & P. M. Fabricy *Discours sur la Revelation &c. pag.* 37. 72. 73. *seqq.*

(3) Liquet id ex Th. M. Cerbonii, ut hunc ex multis memorem, libris qui sunt de *Theologia naturali*, itemque de *Theologia revelata* passim, atque perpetuo.

(4) *Lettres Philosophiques ou l'on réfute le Deisme*, *lett.* 41.

horum faciunt, nullis principiis constitutis, nullaque rerum colligatione conservata, prout quemque aut sors tulerit, aut irrequietus mentis æstus, ac velut vertigo quædam egerit, hac illac vagari, dubitationes ubique spargere, incertos animi, atque sententiæ; quos adeo ea serendarum dubitationum perpetuarum tempestate jactatos, ad extremum eo deferri necesse est, ut aut pyrrhonismum profiteantur (1), aut mortalium levissimos se, minimeque omnium Philosophos esse fateantur. Nam si ideo fluctuant dubitationibus æstuantes, quia nihil percipi posse, nihilque comprehendi putant; purus putus videlicet is Pyrrhonismus est, qui non omnem modo eis Philosophiæ laudem adimat; (qualis enim Philosophus erit, qui se nihil scire profiteatur (2)?) atque adeo,

(1) Re autem vera hodiernos incredulos omnes a Pyrrhonianis stare, animadvertit Episcopus Podiensis *La Religion vengèe de l'incredulitè &c.* in introduct. *pag. 5. 7. seqq.*; jamque effecerat celeberrimus Abbadie *Traitè de la veritè de la Religion Crètienne chap. 2. seqq. tom. 1.* Confer le *Vrai Philosophe, ou l'usage de la Philosophie .... avec l'histoire ..... du Pyrrhonisme Ancien, & Moderne*. Doctissimus vero Poliniacus *Antilucret. lib. 1. ver. 575.* ubi cum multa contra Epicureum casum, eleganterque dixerit; nam eo existente, nihil, quod certum, ratùm, fixumque sit, posset existere, sic concludit.

Et quo Pyrrhonem gladio jugulare solebas,
Hoc temet jugulas, hoc tu procumbis eodem.

Atque Abbadie *Traité de la verité &c. chap. 1. sect. 1.* „ Les incredules du temps tâchent de faire „ revivre le Pyrrhonisme pour „ ebranler les fondemens de la Religion. &c. „

(2) Pyrrhonismo *spem omnem eripi scientiæ, & oculos effodi* recte animadvertit Seneca *epist. 88.*, ob eamdemque causam Lactantius *Divinar. Institut. lib. 3. cap. 6.* Arcesilam *ignorantiæ Magistrum* vocat: & Bruckerus *Histor. Philos. par. 2. lib. 2. cap. 14. §. 2.* „ merito „ visam esse hanc sectam philosophandi rationem evertere „ scribit; & ex Anasidemo, atque ex Laertio efficit „ non constitui, „ sed everti scientias omnes „. Elegantissime apud Ciceronem in *Lucullo* Lucullus ipse: „ Ipsa „ sapientia, si se ignorabit, sapientia sit, nec ne, quomodo primum obtinebit nomen sapientiæ? Deinde quomodo suscipere aliquam rem fidenter audebit,

adeo, non Philosophus, dico, sed homo ne ipse sit, atque omnino, an uspiam sit, ignorare se dicat, sed etiam inconstantiæ eos, ac temeritatis convincat, utpote qui negent iden-

„ bit, cum certi nihil erit, quod „ sequatur? Cum vero dubitabit „ quid sit extremum, & ultimum „ bonorum, ignorans, quo omnia „ referantur, qui poterit esse sapientia? „ Atque ut S. Thomas *lib.* 4. *Metaph. lect.* 17. observat „ Si ille, qui ex aliqua dubitatione „ negat illud principium, dicit aliquid, ostendi potest elenchice, „ idest redarguitve: si vero nihil „ dicit, derisibile est quærere rationem ab illo, qui nulla utitur ratione „. Quibus similia habet & Epictetus apud Arrianum *lib.*1. *cap.* 5. ab Hieronymo Wolfio latine redditus. Rursus S. Thomas ibid. „ saltem petendum est, „ quod detur, nomina aliquid significare, quo non dato, disputatio tollitur „ Vapulant Pyrrhonici, ac Sceptici cum a veteribus multis, adeo ut Ciceronis ætate *Pyrrho*, *Aristo*, *Herillus jamdiu abjecti* contemptui essent, quod idem ait *Cic. lib.*2. *de finibus*, quorum sectam & S. Augustinus *lib.*11. *de Civ. Dei cap.* 26., & Lactantius *Divin. Institut. lib.*3. *cap.*5. *& seqq.* acute exagitant; tum ab recentibus, Crousaz *Examens du Pyrrhonisme ancien, & moderne*; Formeyo *le triomphe de l'evidence*; Muratorio *delle forze dell' intendimento umano*; anonymo auctore libri inscripti *le vrai Philosophe & refutation du Pyrrhonisme ancien, & moderne*, aliisque. Illud autem mirabile videri posset, in Pyrrhonismi foveam incidere potuisse Huetium; verumtamen libro *de la foiblesse de l'intendement humain* falso Huetii nomen inscriptum fuisse, video doctis compluribus esse persuasum, veluti Muratorio; ac, ne plures memorem, Auctori operis *Les trois siecles de notre Litterature tom.* 2. *pag.* 384. in nota. Ceterum sive Pyrrhonici, dubitationem de omnibus rebus universalem præseferentes, animo tamen ab ea alieni sint, aliud simulantes, aliud sentientes; id quod non modo Abbadie *De la verité de la Religion chretienne tom.* 1. *chap.* 1., Lockius *De l'entendement humaine lib.*4. *chap.* 18., Arnaldus *De arte cogitandi par.* 4. *cap.* 1. *&* 6; Crousatius, & Formeyus paullo ante nominati passim; sed Bælius usque insignis videlicet ipse Pyrrhonicus, in *dict. art. Pyrron. Rem. C.* ostendunt: sive quod idem Bælius ibid. *Rem. G*, Bruckerus *histor. philos. tom.*1. *p.*2. *l.*2. *cap.* 14. §. 9; Franciscus Mothæus Vayerus *de la vertu des Payens*, *Buddæus De Atheismo cap.* 1. §. 14; & *cap.*2. §. 4., tum in dissertat. *de scepticismo morali*; Gassendus *lib. proem. de Philosophia universa*, aliique pugnant, non adeo dementes fuerint veteres illi Pyrrho-

identidem multa, multa affirment, hoc est ea affirment, aut negent, quæ se putent non habere cognita. Denique quæ potest in Pyrrhonismo metaphysica esse, sublato contradictionis principio, communi illo scientiarum omnium fundamento (1), metaphysicæ autem multo magis? Aut quis rationis in rebus a sensu remotis investigandis, ac cognoscendis usus, quæ propria metaphysicæ occupatio est, quis, inquam, rationis usus, si semel *oculos rationi effoderis* (2), hoc est, postquam adimendo contradictionis principio, omnem progrediendi aditum rationi præcluseris?

VI. Sin autem iccirco hærere se identidem, ac dubitare dicant, non quin percipi res, comprehendique possint, sed quod multarum rerum notitia tenebris obsessa, non satis

rhonistæ, quin se & esse, & sensibus uti, & corpora existere pro certo haberent: illud tamen exploratum est, Pyrrhonios cum sua *non philosophandi philosophia*, ut eam vocat Lactantius *loc.cit. cap.4. sqq.* *quod non distinxerint quæ sciri possunt, quæve nesciri..... Philosophorum nomen perdidisse*; neque ullam esse disciplinam, cui non oculos effodere conati sint. Hinc Bælius *dict. tom. 4. Eclaircissement. 3. pag. 642. edit. 1740.* vulgato illo recepto, *adversus negantem principia non esse disputandum*, subdit „ Il „ n' y en a point d' aussi indignes „ d' être ecoutez que le Sectateur „ du Pyrrhonisme. Ils ne se con„ tentent pas de combattre le tè„ moignage de sens, les maximes „ de la morale, les regles de la logi„ que, les axiomes de la metaphysi„ que; ils tachent aussi de renverser „ les demonstrationes des Geome„ tres, & tout ce ques les Mathé„ maticiens peuvent produire de „ plus evident &c. „ Et Roussojus *Emile tom. 3. pag. 24. A Amsterdam 1765.* „ Comment peut-on „ être sceptique par sisteme, & „ & de bonne foi? Je ne saurois „ le comprendre. Ces Philoso„ phes ou n' existent pas, ou sont „ les plus malheureux des hom„ mes &c. „

(1) Agnoscit ipse Bælius *dict. Art. Spinoza*, ac sæpe alibi, & agnoverant ceteri ratione utentes. Leibnitius *tom.2. recueil. de diverses pieces second ecrit* ait, „ le grand „ fondement des Mathématiques, „ est le principe de la contradi„ ction ..... ce seul Principe suffit „ pour demontrer toute l'Arithme„ tique, & toute la Geometrie „ &c. Sed perspicua hæc per se sunt: legatur tamen S. Thomas *4. metaph. lect. 6.*

(2) Seneca *Epist.* 88.

ſatis extet, neque appareat; cavere autem ſe, ne incerta pro certis habere videantur: profecto in eo ipſo temeritatis culpam incurrunt, quo ſe eam effugere putaverunt. Nam ſi errandi periculum vitare ſtudebant, hoc videlicet cavendum erat omnium maxime, ut, niſi unius cujuſpiam rei notitiam ſibi certo comparaſſent, ad alia ne pergerent, ſed in eo inſiſterent, quod primum aggreſſi eſsent; & quum lectione, meditatione, labore, patientia adhibitis, in illo quid verum, quid falſum eſſet, deprehendiſſent, tum demum via, & ordine ad alia illuſtranda progrederentur. Ita quidem recta præcipit ratio; ita in rerum cognitione progrediendum monet S. Thomas, cui certe bene, invicte, nervoſe ratiocinandi laudem nemo ſanus negaverit (1). Nunc vero quum illac iſthac vagentur nulla via, nullo ordine, ac velut ſubſultibus in omnem ſe partem verſent, dubitationum illo aeſtu delati, & abrepti, poteſt ne quidpiam fieri levius, aut cum inſigniori temeritate? Iſtud ne erit obſcuras res, quod metaphyſici, atque omnino Philoſophi eſt, illuſtrare; an non rebus veris æque, ac falſis, certis, ac dubiis, obſcuris, atque perſpicuis, unam omnibus noctem, & dubitationum caliginem offundere, quo nihil remotius, non a Philoſophiæ laude, dico, ſed ab officio ſobrii hominis, ac ratione utentis?

VII. Sed inſignis iſtorum hominum levitatis ſpecimen aliquod ſingulare capiendum eſt. En tibi *Cogitationum Philoſophicarum*, ut quidem inſcribuntur, auctorem; ex quo ſi roges, quibus præceptis continendus ſit in rerum judicio animus, ut ne vera temere pro falſis rejiciat, neve rurſus falſa pro veris probet: „ Ego quidem, inquit, facile vel uni homini „ victoriam ab Rege ex fœderatis relatam nuncianti credam; mortuum vero ad vitam fuiſse revocatum vel Pariſiorum toti Civitati confirmanti non credam „. Quid iſthuc

(1) *Lib.* 3. *Metaphyſicorum lect.* 1.; *lib.* 4. *lect.* 7; & 8. & *lib.* 5. *lect.* 1.

huc enim? „ Quia, inquit, seu ut historicus unus quispiam „ fallat, seu ut Civitas tota fallatur, perinde nihil opus pro- „ digio est „ (1). Quibus paucis verbis mirabilem rerum, ac

(1) Diderot Pensées Philosophiques §. 46. *pag.* 154. *edit.* *A la Haye* 1746. „ je croirois sans peine un seul honnête homme qui „ m'annonceroit que Sa Majestè „ vient de remporter une victoire „ complete sur les alliés: mais „ tout Paris m' assureroit qu' un „ mort vient de ressusciter a Passy, que je n' en croirois rien. „ Qu' un historien nous en impose, ou que tout un peuple se „ trompe, ce ne sont pas des prodiges „. Non dissimilem fuisse video philosophandi rationem Midletonis, prout lego *tom.* 1. *dissertation sur le tremblemens de terre &c.* par M. Warburton *preface pag.* 39.; atque anonymi alterius, cujus ibidem *pag.* 164. hæc recitantur verba: „ nous pouvons tout croire, excepté les miracles „. *Essais philosophiques sur l'entendement humain pag.* 199; *edit.* 1748. tum Voolstoni apud Sherlokium *les temoins de la Resurrection de J. C. pag.* 89. *edit.* *A la Haye* 1732. Neque Voltæreus omnia omnium colligens absurda, hoc debuerat prætermittere. Vid. *Dict. Philos. Artic. Certitude*. Quam ad rem accomodatissima mihi videntur, quæ Abbadie *tom.* 1. *sect.* 7. *chap.* 7. *de la verité de la Religion.* atque vir alius Doctus Mr. le Moine auctor *d'une dissertation historique sur les Ecrits de Mr. Vvodston A la Haye* 1732. scribit *pag.* 65. „ Il n' y a pas de „ gens plus credules que ceux qui „ rejettent la veritè de l'Evangile, toujours prêts a embrasser „ les Notions les plus extravagantes, & les plus romanesques „. Cui viri docti animadversioni facile assentientur quotquot meminerint Pradesii; Auctoris *Persicarum Epistolarum*, de Maillet, Boullangerii, Voltærei levitatis, sive in chronologicis Sinensium tabulis recipiendis, sive in Vespasiani confictis miraculis; sive in hominibus ex limo natis, sive in psyttaci ratiocinatione, sive in tot Nationum remotarum moribus describendis; quæ quidem omnia non modo incredibilia per se sunt; sed plane ad evidentiam falsitatis revicerunt Coupletus *præfat. ad Tabul. Chron. Monarch. Sinic.*, Huetius *Alnetan. quæst. l.* 2. *cap.* 5. Grotius *de verit. Relig. Christ. lib.* 1.: *Court examen de la Thèse* de M. l' Abbè de Prades §. 5. *Les Lettres Persannes convaincus d'impietè*. M. l' Abbè de Houtteville *la Religion Chretienne prouvée par les faits*: *Recherches sur l' Epoque de l' Equitation par le* P. Gabriel Fabricy; *& discours sur la Revelation pag.* 37. *&* 48. ubi diligentissime plurimos affert egregios Scriptores, hanc incredulorum insaniam refutantes. Redarguit ipse Rousseojus tantæ inconstantiæ, & levitatis Scepticum.

ac ſententiarum minime cohærentium congeriem complexus eſt (1). Nam primum quidem res ipſæ ab earumdem rerum nunciis, teſtimoniiſque ſunt ſecernendæ. Itaque ſi quemadmodum virtute exercitus, & ſecunda belli fortuna debellari ab Rege confœderati potuerunt; ita exiſtimas Dei infinita virtute poſſe mortuum in vitam reſtitui: profecto, ut alterutrum eveniſſe credas, nihil, præter teſtes idoneos, requiras oportet, qui fidem faciant. Quod ſi in altero vel unius cujuſcumque teſtimonio credideris; ac facile etiam credideris: in altero autem ne totius quidem Civitatis teſtimonio moveare; nimirum, & in illo levis, & in hoc fueris ſtupidus, ipſe tecum colluctans, ac tibi ipſi eris repugnans. Sin vero, quum credas alterum, alterum idcirco non credas, quod & illud fieri potuiſſe perſuaſum habeas, & iſtud non potuiſſe: abſurde nimirum ad teſtimonium ſeu unius, ſeu quamvis multorum provocas, quaſi confirmandæ rei locus ex hominum teſtimonio eſſe poſſit, ubi res ipſa fieri non potuerit. Nempe non hoc ex teſtibus quæritur, fieri ne quidquam poſſit; verum hoc quæritur, id, quod fieri poteſt factum ne ſit, an non ſit. Neceſſe eſt igitur, quoniam quidem de mortuo in vitam reſtituto teſtium auctoritatem requirebas, ut fieri id potuiſſe putaveris. Quæro itaque quid cauſæ ſit, cur toti Civitati factum id eſſe ajenti, teſtanti, confirmanti non credas, præſertim quum vel uni credas de Regis victoria nuncianti? Quia, inquis, & unumquemvis fallere, & totam falli Civitatem, nihil prodigii eſt. Igitur ſi tibi conſtare vis, certe neutri credes: quod ſi alterutri; Civitati profecto potius, in qua multi ſunt graves, diligentes, docti, probi,

C

Montagne *Emile tom. 3. pag.* 100. „ que ſert au Sceptique Montaigne „ de donner aux plus ſuſpects voyageurs l'autorité qu'il refuſe „ aux Ecrivains les plus célebres... „ O Montaigne! toi qui te piques „ de franchiſe, & de verité ſois „ ſincere & vrai, *ſi un Philoſophe peut l'etre*. „

(1) Verumque eſſe latum de homine illo judicium ab auctore *Les trois ſiecles de notre litterature tom. 1. pag.* 385. ex paucis hiſce cognoſcitur: „ Ses penſées philo- „ ſo-

bi, integri homines credendum tibi erit, quam uni. Atqui, inquam, nihil prodigii eſt, ſi unus aliquis fallatur, aut fallat; Civitatem autem totam decipi, aut decipere velle, ſimile plane prodigii eſt. Nam quum homines magno numero quemquam in oculis omnium viventem, ac ſi vis etiam, honoribus, dignitateque florentem noverint, viderint, ſæpe cum eo egerint; deinde vero exanimatum in feretro jacentem conſpexerint, & pompam funeris, quum efferretur, ſuis oculis creverint; de hujus, inquam, morte teſtantibus, credet ne *Cogitationum* auctor Diderotus, an non credet? Credet nimirum, ſi ſana eſt mente. Iiſdem vero deinceps teſtantibus eum jam vivere, & quo die, qua hora, quibus coram in vitam revocatus ſit, oſtendentibus, cur non credet? Falli, inquit, potuerunt. Immo vero omnino, ſi prudens ipſe loqui velit, non potuerunt, nihilo magis, quam quum antea mortuum teſtarentur: Nam tot homines ita uno tempore mente, ac ſenſibus capi (1), ut videantur ſibi omnes videre,

„ ſophiques..... la plupart ſont „ impies, & le reſte hazardè..... „ Traducteur infidele, Metaphyſicien hardi, Philoſophe entuſiaſte &c. „. *Confer Pensées Chretiennes miſes en parallele, ou en oppoſition avec les Pensèes Philoſophiques. A Rouen* 1747.

(1) Senſuum teſtimonium, quum non ea deſint, quæ vulgo ſolent a Philoſophis requiri, certam facere fidem, certamque eſſe veritatis notam, pluries jam eſt a viris doctis plane invicte demonſtratum, ac nuper Auctor eruditæ exercitationis, quæ *De ſenſuum uſu eſt in requirenda veritate*, *Romæ* 1766. effecit. Etſi unum hic eſt, quod cum difficultatem mihi non levem ingerat, facile, ſpero, patietur is Auctor, paucis me cum eo contendere. Obiicienti nempe ſibi *pag.* 73. commune illud ad ſenſuum minuendam certitudinem, exemplum „ remi quamvis integri, in tenui tamen aqua fracti ſpeciem referentis „ reſpondet: „ nonne vides hujus phœnomeni cauſam extra oculos ſitam eſſe?.... Oculis hoc modo affectis, quid eſt cur mirere fractum te remum intueri? Accuſandi potius oculi forent, ni fracti tum remi formam animæ objicerent „. Præclare. Rurſus *pag.* 77. exemplo alteri, quod eſt de columbæ collo pryſmatis inſtar allapſam in ſe lucem retexente: „ Quid eſt, inquit, cur „ oculos reprehendas, quod ru„ bra,

re, tangere, audire, alloqui quemquam, & tamen falso videantur, ac decipiantur, non minus id mihi prodigij simile fuerit, quam mortui illius hominis in vitam restitutio: est enim perinde utrumque ab ordine naturæ alienum, ut ne fieri

C 2

„ bra, aut viridi luce perculsi, „ rubri coloris, aut viridis sensio- „ nem animo obtulerint? „ Etiam præclare. Igitur ea ipsius est, quæ ceterorum sententia: quamvis sensuum objecta aliter reipsa sint, ac sensibus objiciantur, non idcirco hos decipi, nec accusandos erroris; nam *phænomenis causa extra eos est*; *iisdemque sic affectis nihil est quo miremur, si animæ objiciant res aliter ac se se habeant*.

Verum quid est, quod *pag.* 3. Lectorem alloquens ait? „ Sunt qui „ sensuum veracitatem adeo per- „ tinaciter defendunt, ut ipsos, „ ne tum quidem, cum Euchari- „ stiæ de Sacramento agitur, fal- „ laces esse contendant „. Ac statim recitata S. Thomæ sententia docentis „: in Eucharistia sensus „ ab omni deceptione reddi im- „ munes, qui de accidentibus judi- „ cant sibi notis„ &c.; subjungit:„ „ hæc autem responsio suadetur „ quidem aliis, non tamen per- „ suadetur. Concedo itaque sen- „ sus in Eucharistiæ Sacramento „ fallaces esse„.

Jam ego rationem inquiro, quamobrem falli hic sensus velit, falli vero neget, quum fractum exhibeant remum, aut columbæ collum instar prysmatis? Rationem reddit nullam. Nonne falsum est & fractum reipsa esse remum, & prysma esse columbæ collum? Falsum quidem. Et tamen tantum abest, ut erroris reprehendantur oculi, quin *accusandi potius forent, nisi formam illam animæ objicerent*. Cur igitur falli concedis in Eucharistiæ Sacramento? Nam sive vera, ut equidem pugno, ea accidentia sint, sive *species magnanistica*, sive aliud quodcumque volueris; id est omnino certum & tibi, & mihi, & reliquis eadem videri accidentia, quæ antea, eodemque affici modo sensus, consecratione peracta, quo afficiebantur antea; nec prorsus liberum ipsis esse aliter ea animæ objicere, ac ipsi eorum receperint imaginem: cur igitur falli dicis? *Nonne & hic phænomenis causa extra eos est?* Est plane. Possunt ne sensus aliter affici, ac afficiantur? Non possunt. *Oculis igitur hoc modo affectis quid est cur mirere* eadem te accidentia, quæ antea, intueri? Cur non potius accusandi hic item essent, si non ea, quæ antea, animæ objicerent, cum reipsa iisdem, quibus antea, accidentium imaginibus sint perculsi?

„ Quidquid, inquit *pag.* 4., præ- „ ter naturam accidit, id Theo- „ logorum muneris, non Philoso- „ phorum est„. Rogo, Theologum ne, an Philosophum hic gerit? Philosophum certe. Eccur igi-

fieri quidem, vel intelligi, nisi actione causæ natura tota superioris, possit. Ita sane. Nam homo a mortuis ad vitam revocatus tam est humanorum sensuum accommodatum objectum; hoc est omnes humani sensus tantam ejus rei certitudinem possunt habere, quantam hominis alterius cujuscumque: qua de re hominis resurrectio, novaque ejusdem vita, prout ab hominum testimonio pendet, ut evenisse noverimus, nec plus in humanis sensibus virium deposcit, ac deposcant humana cetera; nec plus in hominibus solertiæ, quam ut a mortuo vivum discernant hominem. Quamquam vereor, ne otio abusus videar, qui absurdas ejusmodi non *cogitationes* dico, sed ineptias sim aggressus refellere (1).

VIII. Ve-

igitur ea agit de re, quam prætererire salvo instituto suo poterat, quamque eum in locum invitam pertraxisse videtur? Sed sive Philosophicum id sit, sive Theologicum: statne sensus eadem accidentium specie affici, qua afficiebantur antea? Ita. Sensus igitur fallaces esse non possunt in Eucharistiæ Sacramento. Quamquam vereor, ne ea loquendi ratio minus videatur castigata; quandoquidem eo pertinere, facile quis suspicari posset, ut quod Theologice verum, idipsum sit Philosophice falsum; quod quidem affirmare, & philosophicum non est, & res est periculi plena. Quod enim verum sit, *illud ipsum* semper erit verum & in Theologia, & in Philosophia: quę Philosophia, quum de iis agitur, *quæ supernaturalia* sunt, non utique eorum rationem noverit, ideoque subjicere se illis debebit; at numquid idcirco falsa erunt? Absit a tanto consequtionum portento, a quo longe abesse religiosissimum virum, certum habeo. Adeat S.Thomam 1. *con. Gent. c.*7.; Leibnitium *Essais de Theodicèe n.*3. 4. 5. *sqq. De la Conformitè de la Foy avec la raison*; *& Lettres sur la vraie Religion tom.* 2. *pag.* 285., ex quo pauca dabo, quæ facile accomodari rei huic possunt. „ Parler en Philosophe, & non „ en Chretienne (hæc enim duo Voltæreus disjungi volebat)„ n'est „ qu' un jargon tout a fait indi„ gne & d'un Chretienne, & „ d'un Philosophe. Non, ces dif„ férentes qualitéz ne sauroient „ rendre vrai dans la bouche de „ l'un, ce qui est faux dans celle „ de l'autre. La Raison n'est „ jamais contraire à la Foy, ni „ nos démonstrations à nos Mystè„ res &c. „

(1) Vid. *Dissertation* de M. L' Abbè de Prades, *Encyclopedie to.*2. *pag.* 815. *edit. a Livorne* 1771. & *Sherlockius loc. cit. pag.* 92. *sqq.*

Re-

VIII. Veruntamen tum se maxime Philosophos agere isti putant, quum revelata religionis dogmata una cum humana ratione pugnare ad demonstrandum sumunt. Adversus quos non heic ego instituam aut credendi causas explicare, quæ *motiva credibilitatis* appellant Theologi, atque ostendere, ratione utentem quemvis moveri eis oportere (1), nec *levitatis esse*, ut plane invicte S. Thomas (2) efficit, *fidem eis adhibere*; aut minutas argutias refellere, quas isti, etsi toties rejectas, ac prorsus contritas, adhuc objectant. Sed hæc nunc omitto, quæ propria non sunt hujus loci, nec vero de iis agere pro hujus rei angustiis possem: illud autem contendo, in hac maxime revelationis, ac rationis commenticia pugna prodere eos se funditus expertes notionum metaphysicarum, quibus adeo, ut ajebamus, gloriantur. Neque pluribus, ejusmodi hominum revincendorum caussa, lectores morabor, ut singulos juxta principiorum, quæ alii alia statuunt, varietatem oppugnem, quod nimis longum, atque molestum foret: tantum cum Bælio agam incredulorum sine dubitatione uno omnium acutissimo, quem ceteri ejusdem surfuris homines maximis attollunt laudibus (3). Atque is quidem suo more pugnans ipse secum

Redarguit homines illos ipse Rousseojus, quibus magni esse deberet ponderis illius auctoritas. De miraculis itaque scribens *Lettres ecrits de la Montaigne Lettr.* 3. *pag.* 94. „ La premier question à resoudre; „ Dieu peut il faire des miracles? . . . Cette question sérieusement traitée seroit impie, si „ elle n' etoit absurde: ce seroit „ faire trop d' honneur à celui qui „ la resoudroit negativement que „ de le punir: il suffiroit de l' enfermer „. Legatur, & Bælius *Dict. Art. Spinoza Rem. R.*, & *Art. Damascen. Rem. D.*

(1) Videndus hac de re inter ceteros Antoninus Valsecchius *dei fondamenti della Religione part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. *seqq.* ubi hujus rei demonstrationem usque ad calculi evidentiam adducit. Ceteros egregie hac de re agentes recenset Jo: Albertus Fabricius *de verit. Relig. Christ. capp.* 22. 24. 25.

(2) 1. *Cont. Gentes cap.* 6. *sqq.*, aliique innumeri.

(3) Hos inter eminet Voltæreus, a quo

ſecum, hinc quidem ait, inculcatque perſæpe, quum ratio hominis falli poſſit, idcirco religionis præcepta potiſſimum ex divina revelatione eſse petenda (1); alioquin non teneri religionem, ſed amitti, ſi quis ad eam ſola duce ratione contendat: obſcuritate rerum ratione humana ſuperiorum, ſanum neminem deterreri debere, quin iiſdem rebus aſsentiatur, quando a Deo revelatas eſſe conſtat: multum quidem differre, utrum fieri ne quidpiam poſſit non aſſequare, an etiam intelligas fieri illud omnino non poſſe (2): itaque Spinozam, qui idcirco quod revelatarum rerum obſcuritatem naturaliter ratione diſpellere nequiviſſet, eas rejecerit, induxiſſe ipſum ſe in laqueos multo intricatiores illis, quos voluiſſet effugere; egiſſeque pro homine nec probo, nec acuto (3): denique miraculorum tantam eſſe certitudinem,

a quo ut nemo bonus laudatur, ſic multa in improbos laudes effundit. Scilicet in *Diction.*, *Philoſ. Artic. Philoſophe* vocat „ l' immortal „ Bayle, l' honneur de la nature „ humaine &c. „

(1) *Diction. Artic. Spinoza Rem.* M. „ je ſuis perſuadè que cette lumiere de la raiſon n' eſt pas infaillible, & parce que j' aime mieux dèférer a la parole de Dieu, ... Il y a des gens que perdent la Religion de vue dès qu' ils la cherchent par les voies du raiſonnement humaine: elle echappe aux ſophiſmes de leur dialectique .... N' at on pas bien des exemples de combinaiſon abſurdes, & qui approchent bies plus du contradictoire que celle, que Jean Bredembourg allèguoit „ &c. Multa ſubjungit, quæ ſum ingenium ejus, quum pro veritate pugnat, oſtendunt; pravum ejuſdem uſum deflere nos cogunt pro improbitate decertantis.

(2) Bælius ibid. „ Il y a bien de la difference entre ne comprendre pas la poſſibilitè d' un objet, & en comprendre l' impoſſibilitè „.

(3) Ibid. *Rem. O.* „ il ne ſe degage de quelques difficultè que pour s' engager des embarras plus inexplicables .... ſon choix n' eſt ni celui d' un homme de bien, ni celui d' un homme d'eſprit „. Hujus tamen aliorumque ſimilium hominum teſtimoniis frequenter utemur, ut, quod veritatis amor non potuit, quid vis ejus interdum potuerit, intelligatur; atque ut levitati eorum aliquid concedamus, qui plus eorum permoventur nominibus, quam ceterorum auctoritate, ipſoque rationum pondere.

nem, ut ad ea neganda effronti homine opus sit: splendide scilicet constare illis, ait, Deum naturæ legibus superiorem esse, causasque ceteras prorsus ab ipsius voluntate pendere, quas adeo, ut sibi libeat, præter inditum illis ordinem moveat, agatque (1): ex quibus sententiis omnibus, aliisque, brevitatis causa omissis (2), sequatur necesse est, rationi humanæ superiorem esse, non autem adversari revelationem. Hoc, inquam, ille, modo persæpe scribit; & tamen mirifica ipsius agendi inconstantia, alicubi revelationis cum ratione pugnam jactat, &, quod magis mirere, tam gravem, ut „ si incomprehensibilia religionis mysteria „ credere decreveris, sit tibi deferenda Philosophia „. (3). Quæ major hac fingi impudentia potest, quæ religionem, quæ communem sensum, quæ lectores suos (4) ludos tam fidenter faciat? IX. Ve-

(1) Ibi *Rem R.* „ les miracles „ sont un tèmoignage incontestable qu' il est (Dieu) au dessus „ de la nature ... il fait voir qu' „ elles (les autres causes) depen„ dent de sa volontè, qu' il su„ spend leur force, quand il lui „ plait, ou qu' il l'applique d' une „ façon diffèrente de leur deter„ mination ordinarie .... il faut „ avoir le front d'airain pour s'in„ scrire en faux contre les mira„ cles rapportez dans l' Ecritu„ re &c. „

(2) Vid. ibid. *Rem. T.*; & *Art. Socin. Rem. H.*; *&* *Rem. L.*; *atque Eclaircissement 3. sur les Pyrroniens Diction. tom.* 4. *pag.* 641.

(3) Loc. ipso ultimo citato *pag.* 644. „ si vous voulez croire „ les Mysteres incomprènsibles de „ la Religion, prenez le Christia„ nisme, & quittez la Philoso„ phie .... La combinaison de ces „ deux chosez n'est guere plus im„ possible que la combinaison des „ commoditez de la figure quar„ rèe, & de la figure ronde „ &c. Non multum ab his recedit fictus Huetius *de la foiblesse &c. l.* 3. *c.*9; atque Auctor *La belle Vvolfienne*, *avec deux lettres Philosophiques* &c. *A la Haye* 1741. *pag.* 140., aliique ex his non pauci, qui tamen videri Christiani volunt. Vid. Ludovicum Vives *de disciplinis lib.* 5. hos eleganter refellentem; imprimisque S. Thomam in 8. *physic. lect.* 3.

(4) Moneo rursus, ut legatur Formey *le triomphe de l' evidence*, quo nemo melius, ut ego quidem arbitror, Pyrrhonici istius & indolem, & ingenium, & fraudes, per pe-

IX. Verum quamobrem deferenda Philosophia est mysteria credenti? Nam credere quidem est de re, quam cum nec sensibus, nec ratione cernas, tamen recipis, alteri dicenti fidem habendo: philosophari autem, de rebus, quas sensibus, ac ratione comprehenderis, dijudicare. Ecquid autem est, quod impediat, quin & de iis, quæ sensibus, & ratione comprehendi queant tuo utaris judicio, & de iis, quæ comprehendere nequeas, alteri te majori, scienti, ac docenti, credas? hoc est, ut uno tempore & philosophiam, & fidem retineas? Quæ cognitionum in diverso ordine positarum pugna esse potest? quæ, inquam, pugna, ubi ne comparatio quidem est ulla? Nam quadrati quidem, & circuli, quo Bælius (1) exemplo abutitur, comparationem esse video linearum, & in hac comparatione pugnam cerno rectarum linearum cum curva, quæ sunt contraria: rationis autem, ac revelationis distinctionem veluti gradus video, ut inferior illa, hæc superior sit; parium autem comparationem nullam video, pugnamque adeo multo minus (2). Quid? si idipsum fateatur aperte Bælius, poteritne quidquam fingi hoc homine absurdius? Atqui fatetur ille quidem, ac profitetur (3).

X. Sed

petuamque secum ipso luctam detexit simul, & refutavit; tum & Leibnitius *Essais de Theodicée: Discours de la Conformitè de la Foy avec la raison*, quo loco imprimis adversus Bælium sibi decertandum constituit, ut expresse fatetur *pag.* 1.

(1) Loco superiori nota descripto.

(2) S. Thomas 5. *Metaph. textu* 16. *lect.* 12. „ Proprie contraria „ sunt, quæ sunt unius generis: „ conveniunt enim contraria in „ tribus, scilicet in eodem gene„ re, & in eadem potestate .... „ sicut album, & nigrum in gene„ re coloris, & sicut sanum, & „ ægrum in eodem animali &c. „ *Vid.* 1. *cont. Gentes capp.* 7., & 8.

(3) *Eclaircissement* 3. *loc. citat. pag.* 641. „ J'etablis d' abord com„ me la base de ce troisieme eclair„ cissement cette maxime certai„ ne, & incontestable, que le „ Christianisme est d' un ordre „ surnaturel, & que son analyse „ est l'autoritè supréme de Dieu

„ nous

X. Sed eſt in hac rationis, & revelationis pugna comminiſcenda peccatum Pſeudo-philoſophorum multiplex. Primum enim, quum omnis de Deo diſputatio, ſive ajat quis, ſive neget, in entis infiniti notione verſetur; hominis vero mentem certis naturæ ac virium finibus contineri, ne ii quidem inficiantur, qui religionem oppugnant (1); entis autem infiniti naturam, ac poteſtatem a finita mente non poſſe plene comprehendi, confiteantur (2); ſequitur, ut, ubi myſteria rationi contraria eſse affirmant, hoc eſt ubi de rebus aut ſuapte natura infinitis, aut infinita virtute præditis ex finitæ mentis facultate judicant, tum de rebus incognitis judicent, quod ſummæ temeritatis eſt; tum, quod certum eſt argumentum ſtultitiæ (3), res inter ſe *incommenſurabiles* una

com-

„ nous propoſant des myſtéres, „ non pas a fin que nous les comprenions, mais a fin que nous „ les croyons avec toute l'humilitè qui eſt due à l'Etre infini, qui „ ne peut ni tromper, ni être „ trompé„. Atque *tom.1. oevr. diver. pag.* 110. ut ratum habeatur præcipit: quotieſcumque res aliqua gravibus ſit confirmata rationibus, nihili eſſe faciendas difficultates qualeſcumque in illam objectas. Confer imprimis *Reponſe aux queſtions d'un Provincial. ch.* 161. *edit. Roterd.* 1706. *tom.* 3. *pag.* 1016.

(1) Bælius *Diction. Art. Epicure Rem.S.*, & *Art. Spinoza* paſſim: Rouſſeojus *Emile tom.* 3. *pag.* 89. *edit. A Amſterdam* 1765. „ Plus je „ m'efforce de contempler l'eſſence infinie de Dieù, moins je „ la conçois; mais elle eſt, cela „ me ſuffit; moins je la conçois, „ plus je l'adore, je m'humilie, & „ je lui dis: Etre des êtres, je ſuis „ parce-que tu es. Le plus digne „ de ma raiſon eſt de s'anèantir „ devant toi, c'eſt la charme de „ ma foibleſſe de me ſentir accablè de ta grandeur &c. „ Voltæreus *Homelie ſur l'Atheiſme tom.6. noveaux Melange pag.*298.„ „ J'abuſerais trop de ma foible „ raiſon, ſi je cherchois a comprendre pleinement l'Etre qui „ par ſa nature, & par la mienne „ doit m'être incomprèhenſible „ &c. „

(2) Præter iſtos mox memoratos, alios mitto plures, qui minus interdum inſanientes, ab ipſaque coacti veritate id ſunt teſtati. Legatur M. l'Abbé Bergier, *le Deiſme refutè par lui meme*; & *Traitè de la Foi des ſimples, dans le quel on fait une analyſe de cette Foi &c.*

(3) Aptiſſima ad rem hanc Sanctus

communi menſura metiri ſe aut poſſe, aut debere, arbitrentur. Nam finitum inter, & infinitum nulla, niſi illius ab iſto dependentiæ, proportio eſt, hoc eſt communis nulla menſura (1). Rurſus autem: quum veritas in rei, noſtrique cum re eadem judicii conſenſione conſiſtat; qui judicium de re quapiam revelationi nixum, cum judicio de re eadem naturali ratione lato pugnare putet; is videlicet neceſſe eſt, aut pugnantium judiciorum alterum verum, alterum autem falſum putet eſse, aut utrumque verum. Jam ſi alterutrum falſum, rogo utrum ſit? Illud ne quod ex *naturali* ratione ducitur? Atqui iſto modo non ſolum Philoſophiam funditus totam con-

ctus Thomas ſimilitudine utitur *lib. 1. con. Gen. cap. 3.* „ Sicut maximæ amentiæ eſſet idiota, qui ea, „ quæ a Philoſopho proponuntur, „ falſa eſſe aſſereret propter hoc, „ quod ea capere non poteſt; Ita, „ & multo amplius nimiæ ſtultitiæ „ eſſet homo, ſi ea quæ divinitus „ revelantur falſa eſſe ſuſpicare- „ tur, ex hoc, quod ratione in- „ veſtigari non poſſunt „. Etiam S. Auguſtinus eadem ſæpe ſimilitudine Manichæos urgebat in libris *de moribus Manichæorum*, atque *de libero arbitrio*; eademque uſi ſunt Leibnitius, Clarckius, Abbadie, Moshemius, ex quo pauca dabo. „ Velle, inquit, *nota in cap. 5. ſyſt. intellect. Cudworti*, ter- „ minos explorare rei, quæ nullos „ terminos habet, neſcio quale „ ſit vitium illud, quod Logici „ *contradictionem* nominant *in ipſis* „ *terminis*, ſi purus hujus vitii eſt, „ qui hac ratione differit &c. „ Confer Jo. Clericum *Bibliotheque choiſie tom. 2. art. 2.*; & Mr. Leland., *Nouvelle Demonſtration. Evangelique &c. tom. 1. chap. 3. ſeqq.*

(1) Lockius *lib. 2. de l'entendement humaine chap. 15. §. 12.* „ Ce „ qui eſt fini, quelque grand qu' il „ ſoit, n' a aucune proportion „ avec l' infini „. Id quod non obſcure docuerat jam Cicero *in Lucullo* „ Nulla acies humani ingenii „ tanta eſt, quæ penetrare in Cœlum poſſit &c. „ Ac *de Univerſitate* „ ſi forte de Deorum natura, mi- „ nus id, quod habemus animo „ conſequimur ..... haud ſane mi- „ rum erit: æquum eſt enim me- „ miniſſe, & me qui diſſeram ho- „ minem eſſe, & vos qui judica- „ tis „. Clariora habent Plato, Ariſtoteles, Proclus, Plotinus, ceterique tum veteres, tum recentiores, quorum verba omittam, ne in re nimis perſpicua teſtes non neceſſarios videar afferre, præſertim cum adverſariorum plerique id fateantur. Vid. inter ceteros Rouſſeojum *Emile tom. 3. pag. 57. 68. 89.*

convellunt, cujus tamen professione præ ceteris gloriantur; sed rationem homini etiam eripiunt, utpote quæ frustra sit, ac prorsus vana. Sin illud falsum esse judicium malint, quod ex *revelatione* proficiscitur; rursus ex eis rogo, admittant ne revelationem, an respuant? Nam si respuunt; quo demum modo pugnam ex *revelatione* concludant, quæ *revelatio* nulla sit? Si vero admittant, verbo nempe se admittere simulant, re autem vera tollunt. Nam revelatio est cujusquam notitia a Deo data, qui nec fallere, nec falli potest: itaque revelationem admittere, eidemque fidem detrahere id pugnantia loqui est. Itaque quo se cumque vertant, contradictionibus se perpetuis, atque inextricabilibus implicant. Quod si (nam hoc restabat) judicium, tum quod ratione, tum quod revelatione nititur, tametsi contraria sint inter se, utrumque tamen verum esse ponatur: jam verum vero contrarium ponetur esse; judiciorum duorum utrumque cum re convenire, & tamen pugnare inter se, id, quo nihil fingi potest absurdius. Mitto plura, ne si manifestam insaniam longiore opere persequar, videar ignorare quid inter errorem, & insaniam intersit, quorum alter rationibus repellendus, altera fuste, ac vinculis coercenda est.

XI. Atque hæc nos de hodiernorum Pseudo-philosophorum artibus, institutisque indicavimus. Non enim eorum aut omnes, aut plerosque hac exercitatione refellendos susceperimus, id quod propter ipsas eorum inter se de rebus gravissimis irreconciliabiles pugnas, dissentionesque ne fieri quidem, nisi scriptione longiore posset, quum alii rejiciant, quod volunt alii, atque alii rursus utrosque oppugnent, merito proinde a Cudworto (1) comparati „ Regno „ tenebrarum in mutuas cædes ruenti, & in semetipsum sævienti „; sed ut paucis ea complecteremur, quæ indolem, quæ gloriam, quæ merita prorsus singularia indicarent de-

(1) Syst. intellect. *cap.* 3. §.34.

decantatæ iſtius novæ Philoſophiæ *voluptariæ*, *nigræ*, atque *turpis*, quemadmodum Cicero (1), atque Seneca (2) eam huic ſimilem vocarunt, quæ eorum ætate apud quoſdam vigebat. Neque vero hæc eorum pugna de minutis doctrinæ articulis eſt, ſed de tota rei ſumma, deque eo, quo nihil eſse gravius poteſt (3). Certum nimirum præbent argumentum

(1) *Lib.* 3. *Tuſc. quæſt.*
(2) *Epiſt.* 49.
(3) Fuit ſæpe juſta accuſatio in hos injecta, ut toti ſint in veritatibus evertendis, quin aliquid umquam firmum, ac ſtabile conſtituerint. Occurrendum accuſationi huic ſibi fuiſſe cenſuit fictus Mirabeau *ſyſtem. de la nature part.* 1. *chap.* 17. „ Que l' on ne nous accuſe pas de demolir, ſans èdifier, „ de combattre des erreurs ſans „ leur ſubſtituer dès verités „ &c. At quales ipſe veritates conſtituerit, etſi breviter, pro inſtituto, tamen videbimus; nec aliud, quam Lucretii toties everſam, disjectamque tartaream molem conſtruxiſſe patebit. De mutua vero iſtorum Pſeudo-philoſophorum pugna nimis multa eſſent dicenda, quæ paucis hic nequeunt complecti. Quam immani decertaverint conflictu Rouſſeojus, atque Voltæreus, quanta Mirabeau, contra la Mettrie, Rouſſeojus iterum contra Montaigne; Monteſquieu in Bælium; Atheiſtæ tandem in Deiſtas; atque hi in illos, & Pyrrhonici adverſus omnes, nemo fortaſſe ignorat, multique oſtenderunt, præſertim Cl. Valſecchius *dei fondamenti &c.* paſſim; atque Mr. l' Eveque du Puy *La Religon vengée &c.* aliique permulti ab Jo. Alberto Fabricio *De Veritate Relig. Chriſt. cap.* XI. memorati. Etſi illi imprimis, qui de jure naturali ſcripſerunt, præ ceteris riſum neſcio, an commiſerationem commovent in tanto eorum conflictu. Poſſunt hæc legi apud Joan. Franciſcum Finetti *de principiis juris naturæ lib.* 1. *cap.*3. Unum addam. Poſt tantam impenſam operam ab novis iſtis naturalis juris vindicibus, ut illud, quemadmodum ajunt, a Scholaſticorum liberarent *barbarie*, & ignorantiæ tenebris; ecce Auctor libri inſcripti *Syſteme Social*, *ou Principes naturales de la morale. Londres* 1773., *qui pag.* 2., principia illa juris adhuc in abdito deliteſcere ſcribit; hoc eſt, ceteros fruſtra laboraſſe huc uſque, & falſo jactaſſe ſe tanti philoſophici luminis in illud diffuſi. „ Les principes ſimples, & „ naturales de la morale, & de la „ politique ſont encore a trouver „ Egregii Philoſophi, qui veterum everſis principiis nihil aſſecuti ſunt aliud, quam ut omnia turbarent., interque ſe perpetuo digladiarentur!

tum desperatæ eos causæ patrocinium suscepisse, ab omnique Philosophica ratione esse alienos; etsi ubique insonet apud levissimos homines istorum nomen, quasi Philosophiam instauraverint. Instaurare quidem bellum adversus Religionem conati sunt, quod tot ante seculis confectum erat, & ex quo solidis veræ Philosophiæ instrumentis usa Christiana Religio jam tum de prostrata impietate totidem veluti trophæa constituit, firmius defixa, quam ut possit vanis Pseudo-philosophorum oppugnationibus, non dicam convelli, sed vel tantisper concuti; præterea vero nihil consecuti sunt aliud, quam ut Philosophiæ ejusdem magis perspicuæ notiones obtenebrarentur, corrumperentur mores, minueretur vis legum, perturbaretur societas; nihil tandem esset tam sanctum, tam ad virtutem, & honestatem comparatum, quod, si per eos staret, non everteretur. Qua de re vir doctus Franciscus Baco de Verulamio, quem veræ Philosophiæ indoles latere non poterat, hoc, *minutis* Philosophis nostris accommodatissimum tulit de Philosophia judicium (1) „ „ certissimum est, atque experientia comprobatum leves „ gustus in Philosophia movere fortasse ad Atheismum; sed „ pleniores haustus ad Religionem reducere „. Pluraque subjungit, quæ Philosophicam recentiorum castigant jactantiam. Comes vero Schaftsbury (2) sincere fatetur „ le„ vissimam ratiocinandi rationem ab recentioribus Philoso„ phis

(1) *De Dignitate*, *&* *augm. scient. lib.* 1. *colon.* 5. *edit. Francofurti* 1665. quam viri docti sententiam adoptavit etiam Auctor *Les trois siecles de notre litterature tom.* 2. *pag.* 414. „ Un peu de philosophie „ suffit pour faire un Incredule; „ mais beacoup de Philosophie „ ramene surèment a la Foi, & „ a la verité „ Vid. etiam illustrissimum Gerdil *recueil de dissertation*, *preface*.

(2) *Characterfisticks* *&c. vol.* 1. *p.* 132. „ Les raisonnements peu satisfaisans de quelques Philosophes modernes font, que de la maniere ques les choses sont aujourdhui, l' honnétetè, & la bonne morale n'ont pas la mine de gagner beaucoups par la Philosophie „ &c.

„ phis initam, in cauſa futuram, ut, ſi res prout ſunt, ſic „ pergant, nulla certe honeſtati, boniſque moribus uti- „ litas obventuras videatur„. Iſtorum Philoſophiæ ſpecimen vel Exercitatio ipſa præbebit, quam mox de Atheiſmo aggrediemur.



DE



DE ATHEISMO
EXERCITATIO METAPHYSICA.



REI etsi sua sponte non sane difficilis, sed incredibilibus tamen Atheorum conatibus, subtilitatibusque involutæ, ut expeditior sit explicatio, disputationem omnem dividam in paragraphos, seu partes omnino sex. Nam quum illud contendant Athei, nihil rerum præter materiam esse, quæ quidem materia neque existentiæ, neque actionis, ac motus causam extra se agnoscat; primum omnium de materiæ natura; proxime autem §. II. de materiæ motu agendum videtur. Quumque ad excludendam divinam mentem, quæ materiam ipsam creaverit, resque omnes consilio, ac ratione mirabili effecerit, partim in primi agentis locum conentur cœcum casum inducere, veterum quorumdam deliria sequuti; partim ex recentiorum quorumdam Philosophorum hypothesibus præsidium arcessere; & illud de fortuito casu deliramentum §. III. ad examen vocandum est, & via, atque ordine ostendendum, num aut Cartesiana de corporum gravitate, aut Newtoniana de universali *attractione* sententia materialismum tueri possint; numque seu spatium æternum advocare in præsidium queant, seu consilii, & rationis facultatem materiæ tribuere, quibus de rebus §§. IV., V., & VI. erunt. §. I.

§. I.

De materiæ natura.

I. A Theorum etsi unum commune est institutum, eademque contentio, ut malefactorum summi vindicis Dei sublato, si possint, metu, licentiæ impune fræna laxare queant (1); non æque curantes, quam id invita, ac re-

(1) Hanc scilicet primam, præcipuamque esse Atheismi caussam, testes nobis & veteres sunt, & recentiores viri summi: Plato *lib.10. de legibus ex Ficino* „ Ad hanc opi„ nionem, esse omnia Diis vacua, „ ideo feruntur unice, etiamsi in„ genio plures valeant, quod im„ moderate consectentur volupta„ tes, & dolores intemperanter „ ferant„. Similia de Vellejo scribit Cicero *lib. 1. de nat. Deor.* atq. de Stratone *in Lucullo*. Confer Plutarchum *contra Epicureos*; atque *de superstitione*; aliosque apud Jo. Albertum Fabricium *delectus argumentorum .... de verit. Relig. Christ. cap.* 24. Ex recentioribus autem Cudwortus *syst. intellect. c.5.* § 42; & Moshemius ibid.; tum & immortalis gloriæ Valsecchius *dei fondamenti* &c. *lib. 3. par.1. cap.1. & 2.* Quamquam nec indigeamus his testibus, cum alii præsto sint Atheis certo minime suspecti. Itaque non semel id est Bælius testatus, imprimisque *Pensèes diver.* §. 117., tum & Boullangerus *Discours sur la revelation &c.*: atque Voltæreus id moliri se pollicetur Uraniæ = Tu veux donc (charmante Uranie,)

Qu' erige par ton ordre en Lucrece nouveau,
Et qu' enfin ma Philosophie
T' apprenne à mèpriser les horreurs du tombeau
Et les terreurs de l'autre vie &c.

Ergo quod Lucretium, ceterosque veteres permovit Atheos ad Deum negandum, *ut foras agerent metum Acherontis, surdaque verbera, occulto flagello animum quatiente tortore*; (Vid. Virgil. *Æneid. 4. ver.* 43.; & Juvenal. *sat.* 13.) *subjectaq. pedibus Religione, atq. obtrita* (Lucret. *l. 1. ver. 63., & 993.*) securius improbitati vacarent; eodem permotos timore & recentiores Atheos constat. Qua ex re verissimum illud esse intelligimus, quod scribit Bentleyus apud Gilbertum Burnetum *tom. 1. prop. 1. defense de la Religion* &c. „ Si la Reli„ gion promettoit ègalement le „ Ciel aux Mechans, comme aux „ Bons, il n' y auroit pas un seul „ incrèdule „.

repugnante ratione (1) conentur : communis tamen instituti perficiendi non unam omnes insistunt viam. Alii enim *Hilopasticam* amplexi sectam, sive Anaximandrinam, inertem, sensuque carentem materiam primum rerum omnium, infectumque volebant principium, quemadmodum ex Aristotele (2), Cicerone (3), Plutarcho (4), S. Thoma (5), Cudworto (6), aliisque didicimus. Alii *Atomisticam*, Leucippo, & Democrito auctoribus, professi sectam a Lucretio imprimis eleganter exornatam (7), in figuras, & atomos materiam natura sua æternam secant, ac dividunt (8), quos rursus S. Thomas refutat (9), aliique permulti. His accedunt Stoicorum nonnulli, cum Anaxagora sentientes, ut scribunt S. Thomas (10), atque Cudwortus (11), *Cosmoplasticam* disciplinam sectantes, quæ toti huic rerum universi-

E tati,

(1) Recte Buddeus *de Atheismo cap.* 2. § 1. sic atheismum describit „. Per atheismum perversissimam animi dispositionem intelligimus, qua homo conscientiæ dictamen, aut negligens, aut quodammodo opprimens, sibi non dari Deum persuadere annititur „. Legantur subjectæ ad hunc ejus locum annotationes. Nec multum Bælius ipse ab his discordat *in Diction. Articulis Epicurus*, *Spinoza*, *Ovidius*; scribitque ad tantum pervenire nefas posse neminem, quin totam primum metaphysicam, ipsamque pervertat rationem. In gravissimam tamen Atheismi suspicionem eum etiam fuisse adductum, constat ex eodem Buddeo *loc. cit. cap.* 1. §. 25.; efficitque Petrus Jurieu *Le Philosophe de Roterdam accusé, atteint, & convaincu* &c. Ac merito Samuel Clarcke *de l'existence de Dieu ch.* 5. decernit „ Je pose en fait qu'un „ sourd, qu'un aveugle de naissance ont infiniment plus de „ raison de nier l'existence, & „ la possibilité du son, & de la „ lumiere, que n'en a l'Athee „ pour revoquer en doute l'existence de Dieu. „

(2) 12. *Metaph. cap.* 9.

(3) *Lib.* 1. *de nat. Deor.*

(4) *De placitis Philos. lib.* 4. *cap.* 5.

(5) In Laudatum Aristotelis locum *Lect.* 2.

(6) *Syst. intellect. cap.* 3. §. 25.

(7) *De Natura rerum*.

(8) Lucretius *ibid. lib.* 1. *ver.* 236. Vid. etiam Virgilius *Georgic. lib.* 4. *ver.* 225.

(9) *Loc. cit. lect.* 6.

(10) Rursus ibi. *lect.* 12.

(11) Ubi supra *cap.* 4. §. 6.

tati, quam unice contineri corporibus volunt, quamdam præficiunt naturam artificiose omnia machinantem, sensu tamen, rationeque vacuam. Postremi tandem *Hilozoitæ* vocari, atque Stratonis, vel Empedoclis discipuli possunt (1), qui materiam omnem & vita, & efficientia suapte natura præditam statuunt, eamdemque sensu, & anima privant (2). Ad quatuor has delirantium classes referri ceteros posse, qui, ut Deum negent, talia cudunt portenta, auctor imprimis nobis est Cicero (3), qui ait. „ Alii naturam censent esse „ vim quamdam sine ratione cientem motus in corpore ne- „ cessarios; alii autem vim participem ordinis tamquam via „ progredientem &c. „ Tum Cudwortus (4), atque Moshemius (5), qui prioribus illis accensendos alios arbitrantur, quos posteriori ætate exuscitarunt inferi Spinozam (6), Tolandum (7), Hobbesium (8). Robertum Fluddum (9); nec vero quidquam erit, quo de ementito Mirabeau (10) dubitare possimus,

(1) Adhuc S.Thomas in 3. *Metaph. Lect.* XI; *&* 2. *cont. Gentes cap.* 38.; atque laudatus Cudwortus *differt. de natura genitrice* §. 6. Confer eruditos Moshemii commentarios in eum locum nota *R*.

(2) Cic. *lib.* 1., *&* 3. *de nat. Deor.*, Plutarchus *lib.* 4. *cap.* 2. *de placitis Philosophorum*; Laertius *lib.* 1. *seg.* 24.

(3) Ibid. *lib.* 2.

(4) Syst. intellect. *cap.*3. §.30. 31.

(5) Ibid.

(6) Confer Bayle *Diction. Art.* Spinoza; & Moshemium in *cap* 4. §. 17. Cudworti; & Bruckerum *hist. philos. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* XI. §. 4.

(7) Mr. Huet. *Dissertations sur differens Sujets tom.* 1. *pag.* 389. *A Florence*.

(8) Cudwortus, & Moshemius *loc. cit. cap.*2. §.2.

(9) Petrus Gassendus *examen philosophiæ Fluddanæ tom.* 3. Operum, & Jacobus Basnage *histoire des Juifs. lib.*4. *cap.*7.

(10) *Systeme de la Nature* per maximam impudentiam religioso illi viro Mirabeau Jean-Baptiste tributum, de qua re bene hæc habet Auctor *les trois siecles de notre litterature tom.* 2. *pag.* 383. „ que „ penser de l' audace philosophi- „ que qui ose attribuire a M. de „ Mirabeau l' assemblage de tous „ ses delires en essayant de le fai- „ re passer pour l' Auteur du sy- „ steme de la Nature? un pareil „ ren-

simus, ut alias mittam humani generis pestes. Nam ceteri, quos laudatus Cudwortus (1), atque Jo: Franciscus Buddeus (2) merito *Phanaticos* (3), atque *Enthusiastas* vocant, quippe qui ne umbra quidem utantur rationis, sed furentium more cœco irruant impetu adversus proprium Conditorem, etsi majori præ ceteris numero sint, atque in nefariæ sectæ professoribus audaciores (4), hos, inquam, non revincendos rationibus, sed contemnendos, aut certe deflendos censemus.

II. Jam monstrum hoc quadrifariam divisum in eo est rursus sibi consentiens, ut æternum quidpiam corporeum, infinitum, infectum, ac independens extitisse velit, quod alii materiam (5), alii cahos (6), atomos vocant alii; mo-

 tuque

„ renversement de toutes les loix „ n'a pu qu' indigner les honnêtes „ gens, & les sectateurs même de „ l' incredulitè, qui ont conservè „ quelques sentimens d' honneur, „ & de bonne foi „, &c. Multa deinde præclara subjungit digna ut legantur.

(1) Loc. cit. *c.* 2. §. 29.

(2) *Dissertat. de spinozismo ante Spinozam* §. 12.

(3) Hac solet Voltæreus loquendi phrasi Catholicam indicare Religionem præsertim *tom.* 2. *nouvaux Melanges* 1765. *pag.* 27. *seqq.*, & alibi passim. Auctor vero *systeme de la Nature part.* 2. *c.* 2. hæc de phanatismo habet „ Le phanatisme n'est autre chose, qu'une passion peu raisonnée pour un être, „ qui n'existe que dans l'imagination &c. „ Hoc certe malo, prout falso ab eo describitur, non ipse laborat: verum non is phanatismus est, sed ille, qualem ex Cudworto descripsimus §. 1. Prolegomenon, & quo tradit Leibnitius *tom.* 2. *Recueil de diverses pieces pag* 245. exagitari eos „ *qui pretendent qu' il soit permis de railler les choses les plus* „ *saintes...*, *& qu' il soit permis* „ *de tourner tout en ridicule* „ : quæ maxima est incredulorum philosophiæ pars. Legatur etiam Lockius *essai sur l'entendement humaine lib.* 4. *c.* 19.

(4) Diderot. *pensées Philosophiques n.* 22. vocat illos *les fanfarons du parti.* Confer Samuel Clark, *de l'existen. de Dieu chap.* 1.

(5) Renovat veterum illorum dementiam ementitus Mirabeau *syst. de la nature par.* 1. *chap.* 17. „ „ Il n' y a qu' un seul tout... ce „ tout je le nomme la nature. „ Il n' y a dans elle que de la „ matiere &c. „ Vid. Mr. l'Abbè Bergier *examen du materialisme*; & Monsieur Holland *Reflex. Philos. sur le systeme de la nature*.

(6) Diogenes Laert. in *vita Platonis lib.* 3. *seg.* 10.

tuque rursus sempiterno vel sibi proprio, ac necessario (1), vel invicem sibi interminabili quadam successione communicato (2) præditum; atque principio huic nimirum adeo sapienti, tam provido, tamque præstanti omnia tribui, quæ sunt, quæque fuerunt. Nempe in eo omnes hi perstitere, quod alte animo infixum habebant „ ex nihilo nihil posse „ effici „; non animadvertentes quam differant duo hæc inter se, utrum nihil potuisse effici sine primæ causæ actione dicatur, quod quidem verum, ac necessarium est; an vero dicatur, nihil, nisi ex materiali subjecto eductum effici potuisse, quod est plane falsum. Atqui hoc secundo modo eos intellexisse principium illud, constat ex Epicuro (3), Euripide (4), Ovidio (5), Lucretio (6), Persio (7), quorum, aliorumque S. Thomas collegit sententias, ac refutavit (8); tum etiam ex Cudworto (9), Bruckero (10), atque Bælio (11). Itaque consequens erat, ut „ Cum antiqui Phi„ losophi non consideraverint nisi emanationem effectuum „ particularium a causis particularibus, quas necesse est præ„ supponere aliquid in sua actione; secundum hoc esset eo„ rum

(1) Consulatur Cudwortus *capit.* 2. §. 34. Ex recentioribus quidem singularem esse arbitror tanti portenti gloriam Tolandi *epist.* 3., *&* 4. *ad Serenam*, de quo Vid. Clarck *de l' exist. de Dieu ch.* 4.; & *systeme de la Nature par.* 1. *ch.* 2. de quo Holland. loc. cit.

(2) Refert id de veteribus nonnullis Alexander Aphrodisiensis lib. *de fato* §. 25., & Aristot. *lib.* 8. *Physic. cap.* 1.; quo loco de iis agens mentionem qui successione infinita rerum a Spinoza deinde instaurata, omnia explicare se posse putabant, indignum Philosopho esse subjungit, non aliam rerum afferre causam, ac *semper ita fuisse, & fieri*. Vid. S. Thomam in hunc locum.

(3) Apud Laert. *lib.* 10. *seg.* 38, 39.

(4) Recitat Hugo Grotius testimonium in *excerptis veterum tragicorum*.

(5) *Metamorph. lib.* 15. *ver.* 254.

(6) *De rerum natura lib.* 1. *ver.* 151. *seqq.*

(7) *Satyr.* 5. *ver.* 84.

(8) *In* 2. *Metaph. lect.* 2.; *&* 2. *con. Gentes cap.* 34.

(9) Loc. cit. *cap.* 2. §. 1. *seqq.*, *& cap.* 3. §. 31.

(10) *Histor. Philos. cap.* 2. *lib.* 2.

(11) *In Diction. Art. Spinoza, Rem. X.*

„ rum communis opinio, ex nihilo nihil fieri „ ut inquit; S. Thomas (1); consequens, inquam, erat, ut æternum, atque infectum constituerent *materiale* principium aliquod, ex quo facta fuissent omnia, indeque, quod proximum erat, concluderent Athei (2), nullum existere Deum. Jamvero hoc atheisticæ molis fundamentum illud est, in quo nostra triumphat oratio, eorumque revincet stultitiam (3), quum primum utrinque conveniat: Atheos, materiæ nomine (4) quidpiam compositum, extensum, divisibile, passivum, iners in-

(1) 1. *Par. q.* 45. *art.* 2. *ad* 1.: confer etiam *quæst.* 44. *ibid. ar.* 2.:

(2) Non solum Athei materiam, vel mundum posuere per se æternum, ut Deum de medio tollerent; verum & alii, qui Deum esse dabant, quos non ego ausim Atheis accensere, etsi turpiter philosophatos fuisse pronunciem. Memorantur scilicet a Cudworto ibid. *cap.* 4. §. 6. ex Philosophis Ethnicis præstantiores, qui sic opinabantur, ut Pythagoras, Plato, Numenius: nominantur etiam a Tertulliano nonnulli, quos *materiarios* vocat *lib. cont. Hermog. c.* 5. Sunt ex Socinianis, qui creationi ex nihilo non assentiuntur; de qua re legatur laudatus Cudwortus, atque Valsecchius *dei fondamenti &c. lib.* 2. *cap.* 2. E contra vero quamvis Dei nomine abuterentur aliqui ut Epicurus, Spinoza, aliique ut fucum imperitis facerent, Atheos omnino esse, ipsa eorum opinandi, scribendique ratio dubitare nos non sinit.

(3) Plures stultitiæ notarunt Atheos, imprimisque Richardus Bentleyus in *orationibus sacris de stultitia, & irrationabilitate Atheismi*; & Samuel Biermannus *impietas atheistica* &c. Vid. Jo. Albertus Fabricius *Delectus argumentorum &c. cap.* 7.

(4) Non patitur necessaria rei istius brevitas, ut persequamur ecquid discriminis ex eorum intercedat sententia, qui corpus a materia discernunt, quorum aliquot laudant Cic. *Accademic. quæst. lib.* 1. *cap.* 5.; Stobæus *lib.* 1. *Eglogarum physicarum cap.* 14, & Alcinous *de Doctrina Platonis cap.* 10. Quum res nobis cum Atheis sit, qui promiscue materiam, & corpus accipiunt, nec aliud reapse fictæ finis postulet; ab instituto nostro recederemus, si minutius hæc persequeremur. Ecce ex Bælio diligenti plane Atheorum interprete quid illi materiæ intelligant nomine „. L' idée de la ma„ tiere, inquit *art. Spinoza Rem.* „ *M.* demeure toujours celle d' un „ être composé; celle d'un amas „ de plusieurs substances &c. „ Etiam Cudwortus ex Atheorum sen-

intelligere, prout ex veterum ſententiis palam eſt; ex recentiorum autem magis ſubdola, implicatiorique ſcribendi ratione (1), neceſſaria fluit conſecutione.

III. Quare ſit primo loco argumentatio ab Xenophane non ſuſpecto atheis homine, cujus recitat verba Bælius (2), a nobis per partes evolvenda, & explicanda. „ Quod eſt æ„ ternum, eſt infinitum; quod infinitum, unicum; quod „ unicum, ubique ſimile ſibi: idem eſt immutabile, & im„ mobile; & cum non habeat initium, exiſtentiam habet „ neceſſariam „ (3). Atqui hujuſmodi non eſt materia; non igitur æterna per ſe, ſed creata eſt. Ita prorſus: quod ſuapte natura æternum eſt, idem intrinſece neceſſarium ſit oportet, quemadmodum S. Thomas (4) argumentando concludit, jamque effecerat Tertullianus (5), ceterique recte philoſophantes. Nam quod per ſe æternum eſt, cauſam nullam, nullumque ſui habere principium poteſt, quin ſimul ſit, & non ſit per ſe æternum, quod repugnat; ſi autem nullius virtute exiſtit, exiſtit tamen, profecto eſſentiali ipſa neceſſitate ſua exiſtat oportet: quod autem intrinſece, & eſſentialiter neceſſarium eſt, ita eſt, atque exiſtit, ut nequeat ſine pugna non exiſtens intelligi. Idem eſt enim neceſ-

ſententia concludit *ibid. c. 5. §. 27.* „ In materia, ſeu corpore, ſi receſſeris a magnitudine, figura, „ ſitu, motu, quiete, nihil deprehendas præterea „. Mitto alios.

(1) Quam ſubdola uſus ſit Spinoza atheiſmi tradendi ratione idem Bælius animadvertit loc. cit.; & Cl. Lamy *Le nouvel Atheiſme renversè* &c.

(2) Ibi *Art. Xenophanes Rem. F.*

(3) Plane egregia; ſed turpiſſime deinde concludebat hujuſmodi eſſe Mundum.

(4) 1. *Con. Gen. cap.* 15. „ Omne, quod per ſe æternum eſt, neceſſarium eſt „ &c.

(5) *Lib.* 1. *adver. Marcion.*, cujus librum magni facit Beauſobre *lib.* 4. *c.* 6. *Hiſt. critiq. de Manichèe, & du Manicheiſme*; id quod raro in homine ad carpendum proclivori, contingit. „ Les cinque „ livres de Tertullien contre „ Marcion ſont en general excellens „.

cessario quidquam existere, ac pugnare ut non existat (1). Jam si istiusmodi, ut volunt, naturæ materia sit, pugnabit omnino, ut, sive totam, sive partem ejusdem quamcumque existentia posse carere intelligamus (2): pars enim eadem ac totum prædita natura, necessario *intrinsece* existente toto, necessario etiam rursus existet pars quælibet, adeo ut absque *contradictione* percipi animo nequeat, posse eam non existere. Huc vero totam provoco Atheorum confidentiam; tota ut adsit volo eorum, quæ incredibilis certe est, audacia, ut affirment, ut explicent, ut evincant pugnam, *contradictionemque*, si animo ego concipiam numquam extitisse E.C. Spinozam, brutum aliquod, plantam, saxum. Rerum ne defecisset ordo, aut modo prolapsurum in præceps dicent, si quid eorum, quæ vel ignoramus existere, vel quorum latet nos numerus, natura, relatio ad res ceteras, minime existere cogitemus? Afferant, si quid habent, quod hoc efficiat absurdum, quod eam demonstret rerum omnium intrinsecam necessitatem. Nam quod minime intelligi id posse dicant, quia materia necessaria, infinita &c. revera sit; id simul intelligere deberent, ipsos se deridendos præbere, quum sic respondentes, uti certum sumant, quod in disputatione versatur (3). Ut igitur facile intelligo, uno sublato lapi-

(1) S. Thom. 2. *con. Gen. c.* 31. „ quod non habet esse a se, impossibile est quod necessitatem essendi a se habeat: quia quod necesse est esse, impossibile est non esse; & sic quod de se habet ut sit necesse esse, de se habet quod non possit non esse „.

(2) Si enim darent contingenter existere res, sponte sua corrueret quod affirmant; constat scilicet, & S. Thomas animadvertit ibid. *lib.* 3. *cap.* 86. „ ex multis „ contingentibus non posse fieri „ unum necessarium; quia sicut „ quodlibet contingens per se deficere potest ab effectu; ita & „ omnia simul „.

(3) Sæpe memoratus fictus Mirabeau *par.* 1. *chap.* 4. „ Si l'on demande, inquit in nota, comment, ou pourquoi la matiere existe? Nous dirons qu' elle „ existe nécessairement, ou parce „ qu' elle renferme la raison suffisante de son existence „ Quid si id

lapide, montem, aut una planta, silvam, unoque homine, humanum genus; eadem porro facilitate intelligere possim hæc nusquam fuisse, aut posse nunc deficere, quæ non majorem in toto præbent existentiæ necessitatem, ac partes illæ memoratæ. Videant autem agere hic nos de illis, in quibus a partibus ad totum apta est conclusio, & necessarium judicium: agitur scilicet de eo, quod afficit essentialiter rem, hoc est de existentiæ dependentia, quæ nec minor in toto, nec major esse in partibus potest; in idque recidit, ut quum partes singulæ suapte natura necessario non existant, neque totum ex illis conflatum dici per se necessarium possit. Equid sane est, quod ea, quæ necessaria revera sunt, sive prout a propria dependent causa, ut effectus; sive per intrinsecam attributorum cum subjecto conjunctionem, ut quatuor in qua-

id neget aliquis? Negare vero! Qui id negent „ sont des Enthusiastes, ou des fourbes „ *chap.* 13. Ac vero jam mirifice, ac plane invicte ea confirmaverat *chap.* 2. hoc modo „ Contentons nous de dire que la matiere a toujours existé, qu'elle se meut en vertù de son essence &c. „ Sed & Voltæreus quædam in ***Dictionaire art. Matiere*** habet scitu digna, ut cognoscatur homo, qui dici Christianus vult „ S'il n'etoit pas necessaire que la matiere existât, pourquoi exist' elle? Et s'il falloit qu'elle fût, purquoi n'auroit elle pas toujours eté &c. „ Oh præclaram, simulque formidandam difficultatem! Eccur tot existunt plasphemiæ, ac monstra tua, quæ sane necesse non erat ut existerent? Vid. *Observations sur la Philosophie de l'histoire, & le Dictionaire philosophique* ..... par M. l'Abbé François *tom.* 2. *pag.* 88. *a Paris* 1770. Legantur quæ subjungit plena inscitiæ, & calumniarum in multos, celebrioresque veteres Scriptores, qua in re etiam Rousseojus gravissime peccat *Lettr.* 5. *ecrit. de la Montaigne not.* 27. quosdam ex Ecclesiæ Patribus traducens pro æternitate materiæ stantes, ut S. Justinum M., Origenem, Clementem Alexandrinum, aliosque. Tantam refutant calumniam P. M. Thomas Monilia *dissertazione cont. i Materialisti tom* 1. *sez.*1. *par.*2. *osservaz.*3.; *& sez.*2. *Osser.* 3.; & Cl. Valsecchius *dei Fondamenti &c. lib.* 3. *par.* 3. *c.*3.; & P. M. Thomas Cerbonius *Theol. nat. tom.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. Confer etiam Beausobre *hist. critiq. de Manich. tom.*1. *par.*2. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 4.

quadrato angulos, nequeam aliter concipere, quantumvis meam torqueam, ac vexem mentem; optime vero, expediteque intelligam & singulas, & omnes simul res potuisse, posseque non existere? Ergo cum nihil sit, quo illa persuaderi materiæ necessitas queat, plurima sint autem, eaque plane invicta, quæ contra suadeant; consequens omnino erit, ut suapte natura æterna dici materia nequeat, sed prorsus contingens. Heic vero Metaphysicorum præstantissimus S. Thomas (1) invicte, more suo argumentatur (2) inquiens „. Omne, quod est possibile esse, causam habet, quia cum de „ se æqualiter se habeat ad duo, scilicet esse, & non esse; „ oportet, si ei appropriatur esse, quod hoc sit ex aliqua „ causa .... Ergo oportet ponere aliquid, quod sit necesse „ esse. Omne autem necessarium vel habet causam suæ ne„ cessitatis aliunde, vel non, sed est per seipsum necessa„ rium. Non est autem procedere in infinitum (hanc vero „ Atheorum levissimam evasionem paullo post refutabimus) „ in necessariis, quæ habent causam suæ necessitatis aliun„ de; ergo oportet ponere aliquod primum necessarium, „ quod est per seipsum necessarium, & hoc est Deus, qui est „ prima causa „ &c. (3).

IV. Sed pergamus cum Xenophane: quod est per se æternum, est infinitum. Ita quidem (4); fines enim sive

F per-

(1) Admirati semper sunt viri omnes docti S. Thomæ ingenium, incredibilemque doctrinam, ut patet ex plurimis præclarissimis testimoniis, quæ P. M. Salvator Roselli collegit *tom.* 1. *Epitome Theologiæ moralis* Natalis Alexandri. In iis vero, quæ ad naturalem pertinent theologiam, maximis illum prosequuti sunt laudibus Leibnitius *Theodicé*: *par.* 3. §. 330.; atque Wolfius *Theol. natural. par.* 1. *cap.* 4. §.683., *& par.* 2. *sect.* 2. *cap.* 1. §. 497:; ut ceteros mittam laudatos loc. cit.

(2) 1. *Con. Gent. cap.* 15.

(3) Vid. etiam 1. *p. qu.* 2. *art.* 3. *tum in* 6., *&* 7. *physicorum* plura.

(4) Ita & veteres senserunt ceteri; quare S. Thomas 1. *p. qu.* 7. *art.* 1. scripsit „ Antiqui Philosophi attribuebant infinitum pri„ mo principio; & quia ponebant „ primum principium materiam, „ con-

perfectionis, virtutisque, sive magnitudinis si quos haberet materia, eos plane vel sua ipsa natura, vel alterius causæ potestate haberet; nolunt autem, præter materiam, extitisse quidpiam; nihil itaque fines ei præstituere potuit. Nec vero fieri aliud potuit, quippe cum sibi ipsi causa nequiverit esse, ut existeret; ita nec ut determinata, imperfectaque existeret ratione: contra vero, quia ipsa necessitate intrinseca sua existeret, existendi autem notio, prout hujusmodi, nullis possit circumscribi finibus, ut subtiliter S. Thomas animadvertit (1); quare cum a nulla coangustaretur re existentia ejus, esset prorsus infinita tum perfectione (2), tum magnitudine.

V. Novi equidem, non admodum his perturbari Atheos, imprimisque Spinozam (3), fictumque Mirabeau (4); at

„ consequenter attribuerunt primo principio infinitatem materialem„ &c. Vid. Cudwort. *c*.3. §. 22., atque Moshemius ibid. *not*. R. *S*.

(1) 1. *Con. Gent. c*.43. „ Ipsum „ *esse* absolute consideratum infinitum est; nam ab infinitis, & „ infinitis modis participari possibile est „ Confer *cap*. 28. *ibid*.

(2) Fugere hæc Bælium non poterant, qui, ut acuto erat ingenio, aliud consequi ex alio novit. Quare in *Diction. Art. Epicure Rem. T*. „. Ils ont donc nié la „ creation: mais que leur est „ il arrivé? .... Il a falu qu'ils „ avouassent, que l'existence nécessaire peut convenir à une substance, qui est d'ailleurs toute „ chargée de défauts, & d'imperfections; ce qui renverse une „ notion très-evidente, savoir que „ ce qui ne déscend de quoique ce„ soit, pour exister éternellement, „ doit être infini en perfection: „ car qui est-ce qui auroit mis des „ bornes à la puissance, & aux attributs d'un tel être? „

(3) *Ethic. par*.1. *prop*.5. *& seqq*. nam cum totus sit, ut unicam in rerum natura existere substantiam efficiat, omnemque *substantiam esse necessario infinitam velit prop*. 8. concludere ex his posse se sperat, Deum (hoc est Mundum,) *substantiam esse constantem infinitis attributis*, quorum unumquodque *æternam, & infinitam essentiam exprimit*; *prop*. XI.; *resque particulares nihil esse aliud, nisi Dei attributa*: *coroll. prop*. 25. Vid. Lamy *Le nouvel Atheisme renversé*; & Condillac *traité des systemes chap*. 10.

(4) *Par*.1. *chap*.1.

at novi etiam cum rationis humanæ sempiterno probro, omniumque Philosophorum detestatione ab ipsis hæc dici. Infinitam enim materiam hanc diversis volunt affectam proprietatibus (1); repugnat autem, quod Xenophanes animadvertit, ratioque ipsa docet, ut, quod æternum sponte sua, necessariumque sit, ulli sit partium, proprietatumque discrimini obnoxium: *quod enim infinitum*, unicum; *quod unicum, ubique simile sibi*.

Profecto esset Atheorum materia *unica existens in mundo substantia*, quæ tota sibi, ac sola esset existendi ratio: existere vero absque essentialibus proprietatibus suis nequit (nam accidentales animo concipere proprietates ea in re, quæ necessario per se existat, nihilque inesse ei potest, quod non intelligi debeat veluti fluxisse ab ipsa existendi necessitate, absurdum, ac pugnans est); proprietates vero illæ nihil aliud essent, quam ipsa ejus natura, vel saltem ab ea fluere necessario debuissent. Jamvero bruta illa existendi necessitas totam simul, ac partes ejus afficiens nihil omnino exhibet, quo intelligi proprietatum discrimen ullum in ea possit: una necessitate existit tota; tota itaque eadem existit ratione: sua ipsa natura est existendi ratio; ergo ex eadem natura uno tota existet modo. Quare sic omnis materia homogenea, perfectissimeque similis erit, ut nec ulla sufficiens diversitatis ratio possit intelligi, & intelligatur certissima pugna, ut diversa sit; non aliter ac deprehendatur pugna sive in rerum essentiis, sive in veritatibus, sive in proprietatibus, quæ nuncupari necessariæ solent, ut mutationem subeant, aut in necessitatis notione discriminentur. Itaque sint cuncta per Atheos in rerum natura unum, idemque; cœlestia, terrestria, pellucida, opaca, viventia, vitaque ex-

(1) Spinoza ibid. *p.* 5. *prop.* 16. „ ex necessitate Divinæ naturæ, „ infinita infinitis modis sequi debent &c. „ *Et Systeme de la Nature* loc. cit. „ La nature est le „ grand tout, qui resulte de l'assemblage des differentes matieres „.

expertia, alba, nigra &c. Oh portenta! Quæ si nolint; adhuc secum luctentur necesse est, ut æternam, necessariam, infinitam dicant materiam, & tamen etherogeneam, proprietatibusque dissimilem (1).

§. II.

De materiæ mutationibus, & motu.

VI. EGo vero, quod tuto possum, summa utar liberalitate, daboque Atheis, æternam esse materiam, diversam tamen suis in partibus. Quæro, nullas ne, an aliquas subeat mutationes? Subit: nam vicissitudine quadam, proprietatumque discrimine (2) agit, & reagit; intereunt, & oriuntur multa; quod est, materiam passivum quid esse. At hic Athei novum sibi jugulum parant. Audiendus S.Tho-

(1) Newtonus, cujus interdum Athei abutuntur hypothesi, *Philosoph. Natural. præfat.* „ Sunt, „ inquit, qui materiam ex necessitate sua semper, & ubique extitisse, infinitam esse, & æternam somniant: quibus positis, „ erit etiam undequaque uniformis; nam varietas formarum cum „ necessitate omnino pugnat „. Id jam ostenderat Lactantius, *Divin. Instit. lib.2. cap.9.* „ Materia semper fuisse non potest, quia mutationem non caperet, si fuisset. „ Quod enim semper fuit, semper „ esse non desinit „ &c. Præclara habet multa ibidem, ut vix præclarius, aut validius aliquid invenias in recentioribus. Egregie id pertractat etiam Auctor libri inscripti *L'Homme plus que machine pag. 96. seqq. Londini* 1748.

(2) Vid. nota præced. quid Spinosa, quid Mirabeau sentiant. Obnoxiam vero materiam esse non accidentalibus dumtaxat, & externis mutationibus, sed plane essentialibus, & internis, efficit Bælius *Art. Spinoza Rem. M.* „ Les „ formes qui sont produites dans „ la matiere, lui sont unies entiérement, & penètretivement. La matiere est un etre „ muable, & sujet actuellement „ a toutes sortes des variations, „ & des changemens interieurs. „ Je dis interieurs, car les differentes formes ne sont point „ semblables aux variętez d'abits &c.

S. Thomas (1) . „ Quod alicui convenit ex sua natura , & „ non ex aliqua causa , minoratum in eo , & deficiens esse „ non potest . Si enim naturæ aliquid essentiale subtrahi„ tur, vel additur, jam altera natura erit ; sicut & in nu„ meris accidit, in quibus unitas addita , vel subtracta spe„ ciem variat . Si autem natura , vel quidditate rei inte„ gra manente, aliquod minoratum inveniatur ; jam patet „ quod illud non simpliciter dependet ex illa natura , sed „ ex aliqua alia causa, per cujus remotionem minoratur &c.„ Quid hac argumentatione firmius?

Sane sit maxima, sit minima materiæ mutatio ; non igitur necessario habet quæcumque habet , sed alterius causæ virtuti , actionique omnem materiæ ordinem excedentis subjicietur, quod repugnare rei natura sua æternæ , ac necessariæ, omnes norunt . „ Explicet jam se Cotta (placet „ Lactantii verbis (2) Atheos provocare) si potest ex hac „ voragine ; proferat argumenta, quibus doceat, semper fuis„ se materiam : ostendat quomodo quidquam ponderosum , „ & grave aut esse potuerit sine Auctore, aut immutari „ valuerit &c. „

VII. Infinita, ajunt, æternaque rerum serie sibi invicem succedentium, quarum aliæ in alias egerint, & ad motum impulerint, explicari feliciter omnia, quin opus sit incognitam obtrudere causam (3). Quid tu mihi motum memo-

(1) 2. *Con. Gent. cap.* 15. Confer etiam inter ceteros Cl. Condillacum , qui *Traitè des sensations par.* 2. *chap.* 6. *traité des animaux* eo fere modo ratiocinatur . „ Un „ être ne peut exister qu' il ne „ soit modifiè d' une certaine ma„ niere . Ainsi dans la supposi„ tion , que tous les êtres existent „ par eux-mèmes , ils ont aussi „ par eux memes telle , & telle „ modification . . . . Or il y auro„ it contradiction , que le premier „ principe il put enlever les mo„ difications , qui sont des effets „ necessaires d' une meme natu„ re „ &c.

(2) *Divin. Instit; lib.*2. *cap.*9.

(3) *Systeme de la nature chap.* 1. *par.* 1. „ L' univers , ce vaste as„ sem.

moras in æterna, infinita, necessaria natura? Quid infinita isthæc rerum mutuo dependentium series, prima earum sublata causa? Agedum videamus utrumque. Quæro primum, quid sit, quod heic Athei æternitatem recipiant, quam idcirco in Deo negant, quia intelligere non posse se eam dicunt? Negant scilicet illi æternitatem, in quo attributa cetera mirifico convenirent concentu; illi autem concedunt, in qua nulla cum attributis ceteris esse consociatio posset. Verum isthæc series primam videlicet postulat materiæ causam: cum enim, ipsis fatentibus, singulæ materiæ partes *determinari ad motum, vel quietem debuerint ab aliis, & alia rursus ab aliis* (1); consequens porro esset, ut tota simul ab aliqua penderet omnium prima causa. Hoc nolunt. Nimirum partes materiæ singulas pendere volunt; simul omnes, nolunt: dant corpora singula totidem esse effectus; omnium vero nullam agnoscunt causam: quod est, singula simul sumpta non esse effectus, esse autem, si separatim sumantur.

At infinita est, ajunt, isthæc successio, adeoque principio omni, causaque carens. Atqui idipsum est, de quo disputamus, quodque esse absurdissimum evincimus (2). Quid sane ad rem, si interminabilem dicas hanc seriem? Ideo ne sin-

„ semblage de tout ce qui existe „ ne nous offre partout, que de la „ matiere, & du mouvement: „ son ensemble ne nous montre „ qu' une chaine immense de causes, & d' effets „. Et *chap.* 4. „ En substituant la matiere a cet „ être (Deo) on ne fait que substituer un agent connu, ou possible a connoitre â un agent inconnu, totalement impossible „ à connoitre, & dont l' existence est impossible à demontrer „.

(1) Spinoza loc. cit.

(2) Tantam dementiam refellit Roussojus *Emile tom.* 3. *pag.* 45. *edit. Amsterdam* 1761. „ Plus j'observe l'action. & reaction des „ forces de la nature, plus je trouve que d' effets en effets il faut „ toujours remonter a quelque volontè pour premiere cause: car „ supposer de causes à l' infini, „ c' est n' en point supposer du „ tout &c. „ Vid. Locke *Essai sur l'entendement humain liv.* 4. *chap.* 10. §.8. *seqq.*; atque, ut plurimos omittam, Condillac *traitè des animaux par.* 3. *ch.* 6. *Traite des sensations*.

ſingula corpora ſic mutant naturam, ut non mutuo pendeant? Imo pendent. Igitur cum hic de eo agatur, quod intrinſece, quod eſsentialiter, quod neceſſario afficit corpora ſingula; quis tam erit ignarus logicarum præceptionum, ut quod eſsentialiter de ſingulis dicitur, neget dicendum de natura corporum univerſa? Quantum, quantum itaque hoc Athei inani effugio poterunt conſequi, id totum erit; ut primo pugnantia doceant, infinitas ſimul ac dependentes res eſſe ajendo; deinde, ut augeatur quidem rerum numerus, non ut earum mutetur dependens natura. Nam ſeries illa interminabilis rerum eripiet quidem mihi originis tempus, earumque principium, meque in tenebroſum projiciet chaos; at non mihi auferet dependentiæ inſeparabilem notionem: illa reſpicit numerum, aut quantitatem; hæc eſſentiam, cujus notio nec additamentum recipere, nec diminutioni poteſt eſse obnoxia (1): illa tandem efficeret res extitiſſe ſemper; hæc efficeret, extitiſse virtute cauſæ *natura* prioris (2); ut ſi poſſem animo comprehendere extitiſſe ab æterno Solem, una coæternum ei radium intelligerem, quamvis ab eo emiſſum. Abſurda deprehendit alia graviſſima S. Thomas (3) in hac rerum ſerie, efficitque futurum, ut media eſ-

(1) S. Thomas 2. *con. Gent. cap.* 72. „ totalitas eſſentiæ eſt tota in toto, & tota in qualibet „ parte; ut albedo ſecundum rationem albedinis, eſt in toto „ corpore, & in qualibet parte „ ejus„. Vid. etiam 1. *par. q.* 76. *art.* 8.

(2) Norunt omnes, non huc referri Atheorum poſſe ſententiam, quæ Ariſtotelis fuit *lib.* 8. *phyſicorum*, & alibi; quamquam is, ut monet S. Thomas 1. *par. qu.* 46. *art.* 1., dubius hac in re manſerit, & potius contradicendi gratia illa ſcripſerit. Vid. etiam 2. *con. Gent. cap.* 38.

(3) Ibi *lib.* 1. *cap.* 13. Hobbeſius ipſe non obſcurus ſectæ Patronus portentum hoc damnat „. Si quis, „ inquit *Elem. phyſ. par.* 4. *c.* 26., „ ab effectu quocumque ad cauſam ejus immediatam, atque „ inde ad remotiorem, ac ſic „ perpetua ratiocinatione aſcenderit; non tamen in æternum „ aſcendere poterit, ſed defatigatus aliquando deficiet „. Etſi vi-

essent omnia sine extremis ; omniaque instrumenta forent, omni sublato principali agente ; id est simul essent, & non essent instrumenta : sed non vacat diutius his immorari.

VIII. Unum tamen adhuc superest, quod me magnopere torquet, nisi illud mihi Athei explicent, quod non spero. Fidunt scilicet quammaxime successioni huic corporum infinitæ. Infinitæ? Igitur interminabilis, vel *impertransibilis* (1), ut ajunt, ea erit, adeo ut neque ab finita re ulla, neque ab infinita circumscribi possit (2), prout infiniti notio, omniumque confirmat consensio (3). Non extitit itaque infinita rerum series ; nam si pertransiit, infinita sane non fuit. Quæ si non abiit, aliæque accedent successiones rerum ; adhuc infinita non erit, quippe aliqua fieri ei possit accessio : nulla nimirum potest infinito fieri additio.

Præterea, quænam deprehendetur pugna, si præsentem rerum seriem ut omnium ultimam animo conciperem? Et quidem ultima est, si conferatur cum illis, quæ abierunt (4): alterutrum vero, aut utrumque istorum totum evertit Atheorum commentum, ut *infinitam* vocare, aut *impertransibilem* nequeant seriem istam. Gratis scilicet affirmarent, nullum habituram finem, cum & nullis id queant argumentis efficere; aut illis dumtaxat argumentis, quæ ab eo petantur, quod est in

video, suspecta esse hæc ejus verba Cudworto. Auctores ceteros hac de re fuse agentes, legas apud Jo. Albertum Fabricium *de veritate Relig. Christ. cap.* XI.

(1) Wolfius *Cosmolog. sect.* I. *cap.*2., §.91.; imprimisque S. Thomas *lib.* 8. *physicor.*, & 2. *contr. Gentes cap.* 38.

(2) Idem 1, *p. q.* 14. *art.*12.

(3) Apud Cudwortum *Syst. intellect. cap.* 3. §. 33.

(4) Egregie Mr. Jaquelot *dissert. de l'existen. de Dieu tom.* 2., *diss.* 2. *c.* XI. „ Il est ridicule de remonter de cause en cause jusqu' „ à l' infini. . . . Car si on ne pouvoit remonter a le premiere „ cause, on ne pouvoit, en descendant, rencontrer jamais le „ dernier effet ; ce qui est manifestement faux, puisque le mouvement, qui se fait a l' instant „ que je parle, est de necessitè le „ dernier . . . & comme on trouve le dernier effet, on doit aussi „ rencontrer la premiere cause „ &c. „

in quæstione ; hoc est sine fine futuram , quia necessaria sit, propriaque natura cieatur ad motum. Hoc itaque unum consequeretur ; seriem hanc infinitam futuram *in potentia* (1): „ „ quemadmodum , inquit S. Thomas (2) , cuilibet numero „ dato est apponere unitatem , & sic numerus est augmen- „ tabilis in infinitum , & magnitudo est divisibilis in infini- „ tum „ ; minime vero reipsa , ideft actu , cum intrinsecam præseferat ab indeficiente , conservatrice causa dependentiæ notionem .

IX. Aliquid effecisse jam nos arbitror contra nefarios homines ; sed superest adhuc, in quo triumphet etiam disputatio nostra. Totam hanc eversam successionum seriem explicari sine motu non posse , sponte ipsi dant ; nihilque rursus effici sine motu posse in rerum natura , ultro fatentur (3); verum quomodo intelligi motus in materia possit, quæ æterna , necessaria, & infinita natura sua sit , id non explicant. Ego vero sic eis recipio, atque confirmo, futurum numquam ut explicent. Non illud hic urgebo, si materia infinita per se sit , necessario consequi , ut vacuum omne repugnet ; id quod , si Cartesianos excipias , quorum jamdiu conciderunt placita hujusmodi , nemo probabit alius, maximeque

G illi,

(1) Injuria temporum compellere nos videtur, ut saltem aliquando moneamus , ubi Scholasticorum nobis vocabula , vel distinctiones usurpandæ occurrunt , lisdem & recentiores viros præstantes uti, minus ceteris infensos Scholasticis . Legatur Leibnitius *discours de la conformitè de la Foy avec la raison* ; Locke *de l'entendem. humain lib.2. ch.*17. §. 13. ; Mr. l'Abbé François *examen des faits &c. tom.*1. *chap.*1. *pag.*9. ; & Cl. Gerdil. *recueil de dissertations art.* 2. „ N'est pas un „ infinitè absolue , mais seulement en puissance . Voilà tout le „ mystere . . . . qui ne sauroit servir de voile au passage du fini „ a l'infini actuel , & absolù „ .

(2) *XI. Metaphys. lect.* 10.

(3) Spinoza *Ethic. par.* 2. *prop.* 3. *lem.*3. ; atque *Systeme de la Nature par.*1. *chap.* 2. „ Pour former „ l'Univers , Descartes ne demandoit que de la matiere , & du „ mouvement,„ Et chap. 3. „ C'est „ par le mouvement que tout ce „ qui existe se produit , s'altere , „ s'accroit &c. „

illi, qui nullum sine vacuo esse motum posse putant: constat enim si vel minimum esse spatium materia vacuum possit, infinitam non fore materiam (1). Non his, inquam, aliisque hujusmodi immorabor. Quod mihi omnino explicent velim, illud est; undenam motus ille fuerit in materiam profectus; quam habuerit causam, rationem, progressum? Ex ipsa ne materiæ essentia ei inhæret? Ita quidem nonnulli, ut Tolandus (2), confictusque Mirabeau (3), quorum tanta fuit dementia, ut non a Philosophis dumtaxat, sed ab ipsis usque fuerint Atheis refutati (4). Verum ne gratis hoc, quod turpissimum Philosopho est, videantur affirmare, experiantur efficere ne possint, ut, saltem cogitatione, sublato a materia motu, continuo intereat illius notio, vel enascatur aliqua proprietatum contradictio. Est enim palam cognitum, si ab re quacumque aliquid auferas, quod ad illius pertineat essentiam, non jam eamdem futuram rem, sed prorsus aliam (5): igitur quiescente materia, eique deficiente motu, quem pertinere ad ipsius volunt essentiam, una deficiet materia ipsa. Atqui quantumcumque ego enitar,

(1) Samuel Clarcke *de l'existence de Dieu chap.* 4. „ S' il est possible que la matiere soit absente „ d'un lieu, il n' y a point impossibilitè qu' elle se trouve absente de tout lieu „. Nimis perspicua hæc per se sunt, quam ut confirmari rationibus, quod facile possemus, oporteat.

(2) *Ep.3. ad Serenam*.

(3) Loc. cit. *chap.2.* „ Nous dirat-on d' ou cette nature a-t'elle reçu son mouvement? Nous „ repondrons, que c'est d'elle me„ me, puisqu' elle est le grand „ tout, hors du quel consèquement „ rien ne peut exister „ &c. At quomodo istud? Ipse dixit.

(4) Hobbesius *Elem. Philos. par. 4., seu in physica cap.26.* §.1. „ Ex „ eo quod nihil potest movere „ seipsum, satis recte infertur ali„ quod esse movens, quod fuerit „ æternum „ &c. Animadvertimus jam hæc, atque similia visa Cud. worto, atque Moshemio fuisse suspecta; at quid vetat, quin hæc recipiamus sive ut secum illum committamus; sive ut sectam, ex sectæ discipulis confundamus? Vid. etiam Bayle *Art. Epicure, & Spinoza Rem. B.*

(5) Confer S. Thomam 2. *con. Gen. c. 15.* supra laudatum.

tar, meamque torqueam mentem, non modo pugnam deprehendo nullam si careat motu materia; sed etiam perspicue, evidenter, certoque cognosco, materiam ad motum perinde ac ad quietem indifferenter se se habere, adeo ut impetrare a memetipso non possim quin eam inertem esse (1), & *passibilitate*, ut ajunt (2), donatam pro certo habeam: ex quo consequens est, ut non propria natura, atque essentia, sed ab causa, quæ alia sit a tota materia, proficiscatur in eam motus (3).

Quid vero, si existente materia, qualem ipsi volunt, æterna, necessaria, infinita, non modo inesse ei ipsa essen-

 tia

(1) Vid. Newtonem *Phil. nat. princip. mathem. def.* 3., *& opt. quæst. ult.*; Joan. Keill. *Introduc. ad veram physicam lect.* XI.; Georgium Ckeine *Princip. philos. natural. cap.* 1.; P. Bertier *Principes physiques &c. tom.* 1. *ch.* 10. *sect.* 2. Elegantissime vero doctissimus Præsul Benedictus Stay *Philosophiæ recentioris versibus tradita &c. tom.* 1. *ver.* 1453. *seqq.*; *& vers.* 1471. „ Ipsum igitur per se non „ ullo tempore corpus

Quit mutare suos, aut prorsus tollere motus.
Ergo est illud iners, & semper fungitur hac vi &c.

(2) Sic præter S. Thomam 3. *physicor. lect.* 4. vocat Lockius *de l' intendem. humain. lib.* 2. *ch.* 20. §. 4., atque Keill. loc. cit., ceterique memorati. Ac Lockius inter ceteros ibid. *ch.* 21. „ A bien considerer, ait, la chose, le mouvement „ n' est dans la substance solide „ qu' une simple passion; si elle „ le reçoit uniquement de quelque „ agent exterieur &c. „ Et Mr. Wollaston *Ebauche de la Religion. Sect.* 1. *prop.* 13. ait. „ Il n' y a rien „ de mieux prouvè dans toute la „ physique, que cette inaction, „ & cette inertie de la matiere. „

(3) Animadvertit diligentissime S. Thomas *lib.* 8. *physicor. lect.* 4. satis esse si vel minima quiescat materiæ pars, ut argumentari certo possimus non ei essentialiter inesse motum. „ Et si in uno mo„ bili potest quandoque motus es„ se, & quandoque non esse; pa„ ri ratione in toto etiam univer„ so &c. „ Omitto, brevitatis gratia, quamplurimos, ut pauca recitem ex Roussojo, in gratiam scilicet eorum, qui magis similium hominum commoventur auctoritate, quam ratione. Igitur *Emile tom.* 3. *pag.* 45. „ Qu' un corps ina„ nimè, & en repos vienne à se „ mouvoir de lui-meme, cela est „ incomprensibile, & sans exem„ ple &c. „

tia sua motus non posset, sed contra repugnaret ei omnino? Nam quidquid inesse intelligimus, id non aliunde profectum in illam potest intelligi, quam ab ipsa ejus existendi intrinseca necessitate: repugnat vero hanc mutationi cuiquam esse obnoxiam posse; itaque locus ille ipse in quo ab æterno sua natura fuisse eam imaginamur, mutari ab illa non poterit, quippe qui ab eadem ortus necessitate, eique determinatus, a qua ipsa materia: ergo quo fuit in loco ab æterno, in eo permaneat semper necesse est; atque adeo moveri nulla ratione poterit (1).

X. Verumtamen hic rursus liberalitate utamur; sit essentialis in infinita materia motus, quæro, qua motus specie eam moveri velint, directo ne, an circulari (2)? Movebitur ne tota, an partes dumtaxat nonnullæ? Næ ineptis, quidquid affirmes. Quod enim alicui essentiale sit, id toti, semper, ac necessario inesse eidem debet (3): motus itaque si essentialiter materiæ inhæreat, inhærebit certe toti, hoc est pars nulla quiescet, aut quiescere poterit. Jam perge delirare: si rectilineo progrediatur motu materia infinita (4) tua,

(1) Illustrat rem hanc egregie Bælius in *Diction. Art. Ovidius Rem. F.*

(2) Sic & Wolfius de æterna agens motus progressione *Cosmol. sect.* 1. *cap.* 2. §. 91.; atque *Theol. nat. par.* 2. §. 467., & 471. in rectilineum, & circularem partitus motum, contemplatur.

(3) Clarcke *de l' existen. de Dieu ch.* 4. „ Un necessité absoluë, „ est necessité egalement par tout„. Id quod S. Thomas persæpe docet, estque inter clariores rerum ideas enumerandum. Bælius vero ibid. *Art. Zenon. d' Elée Rem. G.* verissime scribit „. Quand un chose ne „ peut avoir tout ce que son exi„ stence demande necessairement, „ il est sûr, que son existence est „ impossible „ Utinam principio hoc omnibus explorato usus fuisset Belius, cum præsertim pro bifronti illo Manichæorum monstro toties pugnavit. Digna sunt ut legantur, quæ de eo scripsit Mr. des Sablons *Les grands Hommes vengées tom.* 2. *art. Bayle*.

(4) *Infinitum esse id, cui nihil addi potest*, definit Cudwortus *Syst. intellect. cap.* 5. §. 15. Aristotelem *lib.* XI. *Metaph. cap.* XI., immo communem omnium intelligentiam, & consensionem sequutus.

tua, quo tandem erumpet? Nam infinita cum ſit, omnem prorſus occupabit locum, omneque ſpatium; cumque naturæ ſuæ neceſſaria vi moveretur, & ſemper in directum moveretur tota, & novum ſingulis momentis occuparet infinitum ſpatium: exiſterent igitur reipſa infinita numero ſpatia infinitis quælibet dimenſionibus *actu* prædita. Oh *Spiritus* vere *fortes*, quos non hæc conturbant portenta!

Sed moveatur circulari motu: quid? Infinito ne finitam affinges affectionem, atque figuram (1); tum partes ſuperiores alias, alias inferiores? Dabis enim, ut puto, eidem etiam centrum, axem, polos: & quidem hæc tuto potes eadem, qua cetera, facilitate, multoque etiam plura tribuere. Tamen adhuc erit ſpatio minor, quod eſt, non infinita, ut pugnas. Vide vero jam utrum S. Thomas (2) feliciter, invicteque hæc præoccupaverit, ac ſi quid habeas, quod contra poſſis, opponare. „ Omne corpus naturale, inquit, habet aliquem „ motum naturalem: corpus autem infinitum non poſset „ habere aliquem motum naturalem, nec rectum, quia nihil „ movetur naturaliter motu recto, niſi cum eſt extra ſuum „ locum, quod corpori infinito accidere non poſſet; occuparet enim omnia loca, & ſic indifferenter quilibet locus eſſet locus ejus. Et ſimiliter etiam neque ſecundum „ motum circularem; quia in motu circulari oportet, quod una „ pars corporis transferatur ad locum, in quo fuit alia pars; „ quod in corpore circulari, ſi ponatur infinitum, eſſe non „ poſſet, quia duæ lineæ protractæ a centro, tanto longius „ diſtant ab invicem. Si ergo corpus eſſet infinitum, in „ infinitum lineæ diſtarent ab invicem, & ſic una numquam „ poſset pervenire ad locum alterius „. Quid ais ad hæc? Quid præterea repones ad incredibilem motuum diverſitatem? Eadem ne bruta neceſſitas materiam totam ſimul, ac par-

(1) „ Figura eſt, quæ termino, vel terminis comprehenditur „ ait S. Thoma 1. *p. q.* 7. *art.* 3. ceterique ajunt ratione non vacui.

(2) Ibid.

partes intrinſece afficiens diſcriminis illius cauſa erit? Quomodo nam iſtud? Quamnam potes iſtius rei ſufficientem afferre rationem? Undenam ab neceſſario homogenea re, tanta motuum diverſitas? Habe & hic S. Thomam (1) qui te refutet. „ Determinati motus, & operationes ſunt rerum „ determinatarum, & diſtinctarum; & diſtinctio rerum præ„ cedere naturaliter debet motum „. Atqui nulla in materia Atheorum fuit diſtinctionis cauſa, ergo nec motus erit (2).

XI. At illuc redeo. Ediſſerant: tota ne materia eſſentialiter movetur, an partes dumtaxat nonnullæ? Tota quidem: pluries enim, quod unicuique compertum eſt, animadvertimus, id quod eſſentialiter inſit rei, toti rei eidem, omnibuſque partibus, atque ſemper ineſſe debere. Tota igitur, omneſque licet minimæ materiæ partes, vel atomi cum neceſſario moveantur, ſi in eandem moveantur partem, ſingulæ proprio, eademque motus ſpecie, & velocitate ſingulas inſequentur ita, ut ne duæ quidem atomi conſociari umquam poſſint ad ſolidum unum, ac ſtabile conſtituendum corpus. Quæ ſi in diverſa ferantur, multo minus poterunt conſociari, ut firmum quid, certum, determinatumque conſurgat; ſed chaos priſtinum illud perpetuo manſiſſet, cujus Lucretius, Horatius, aliique apud Diogenem Laertium (3), atque Plutarchum (4) meminerunt. Inteſtino ſcilicet, perpetuoque agitatæ motu neceſſario ſemper fuiſſent, quin, non dicam ſpectabilem hanc, pulcherrimamque mundi machinam po-

(1) 2. *cont, Gent. cap.*39.; tum 7., atque 8. *phyſicorum* multa habet ad rem validiſſima, quæ non idcirco volo ab adverſariis recipiantur, quaſi auctoritate permovendi, nam permoventur nulla; ſed vi, & pondere ipſo argumentorum, ſi aliquando noverint veritatem diligere.

(2) „ D'où viendroit l'inegalité? „ Quærit oportune Abbadie *ſect.* 1. *cap.*6. *de la verité de la Religion Chretienne*. Confer rurſus S. Thomam 2. *phyſicor. lect.*14.

(3) In vita Platonis *lib.*3. *ſeg.*10.

(4) De placitis *Philoſophorum lib.* 2. Vid. etiam Brukerum *hiſt. philos par.*2. *lib.*2. *cap.*9.

potuisent efficere, sed ne plantam quidem, aut porticum, vel domum (1).

§. 11 I.

De fortuito Casu.

XII. Scio quid Democritici veteres, recentioresque respondeant, qui absurda absurdis congerendi nullum faciunt finem. Casu (2) potuisse illa effici, ac ordinari: nam in concursionibus innumerabilibus atomorum, & hic quidem mundi ornatus continebatur. Præclari Philosophi, qui quod ratione explicare nequeant, casu expediri posse putant; non considerantes, sed casu utique sortientes quid dicant! Ac si horum aliquis imprimis fuerit, qui fortuitum, perturbatumque motum illum una cum intrinseca existendi, seseque movendi necessitate queat, absque manifesta pugna, conjungere, hic quidem *magnus mihi erit Apollo*. Et hoc tamen dissimuletur, per me licet: quid vero eos juvabit?. Perturbatus materiæ particularum, aut atomorum motus intelligi nequit ab alia prodiise causa, quam ab ipsa eorum necessaria natura: hæc autem, quippe necessaria, non ullam poterat mutationem subire; itaque cum ab æterno atomi fuerint, atque atomi perturbato agitatæ motu, eædem profecto & in posterum semper ese necessario debuerunt; atque adeo, ut Cicero (3) animadvertit „ etsi pellere, & agitari inter se concursu for-
„ tasse possent; formare, figurare, colorare, animare non
„ possent. Nihil est enim, alibi scribit (4), quod ratione,
„ & numero moveri possit sine consilio, in quo nihil est
„ teme-

(1) Cicero *l.2. de nat. Deorum*.
(2) Lucretius *lib. 1. ver.* 1020. Confer Gassendum *phys. sect. 3. lib. 4. cap.* 3.
(3) *Lib.1. de nat. Deorum*.
(4) Ibid. *lib.2.*

„ temerarium, nihil varium, nihil fortuitum „. Etiam S. Thomas (1) diligenter id deprehendit, qui idcirco concludit „ si ordo universi sit casualis, sequeretur quod multo „ magis alia posteriora essent a casu „. Atqui, subdit Cicero (2) „ fortuna, quæ amica varietati, constantiam respuit „: „ nihil eorum, inquit S. Thomas (3), quæ casu „ fiunt, fit semper, vel frequenter ... & impossibile est ea, „ quæ fiunt semper, vel frequenter, accidere a casu „. Igitur, concludit (4), cum ea, quæ a natura fiunt, evenire constanter, ac perraro dumtaxat mutari videantur; consequens plane est, tum ob ei præstitutum finem naturam agere; tum conditam, administratamque ab summa aliqua causa fuisse ad certum illam dirigente finem; quod est non casu, sed consilio, sapientiaque moveri agentis causæ. Verum, quid tandem casus iste erit? Quæ nam vis huic subjecta nomini? Omnes enim ea evenire casu intelligunt, quæ sunt præter intentionem singularis agentis, prout sæpe S. Thomas (5), Bentleyus (6) aliique docent: non excluditur igitur per casum vera effectuum causa, etsi intentio excludatur, ac finis. Hic vero casus, (si quid reapse sit, quandoquidem tot, tamque mirabilium rerum velint esse effectricem causam,) esse nequit a materia diversum; nolunt scilicet præter materiam, & inane (7) aliud existere quidquam: casus,

(1) 2. *cont. Gent. cap.* 16.

(2) Loc. cit.

(3) 2. *physicor. lect.* 13.

(4) Vid. etiam 2. *cont. Gent. cap.* 39., & rursus 8. *physicor. lection* 12. *seqq.*

(5) Locis citatis.

(6) Apud Gilbertum Burnetum *Defense de la Religion. &c. tom.* 1. *proposit.* 3.

(7) Id quidem veteres horum Duces e grege Epicuri volebant, ut scribit Cicero *lib.* 1. & 2. *de n. t. Decr.*, aliique multi quos recenset Bruckerus *hist. philos. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* XI. Præterire, inter multa, illud etiam debuimus, quomodo nam ex atomis fortuito agitatis prodire potuerint ea, quæ vita, & cognitione sunt prædita, sublata per Atheos omni dirigente causa. Id Bælius animadvertens *in Diction. Art. Sennert. Rem. C.* ait „ Afin qu' un petit atome organi- „ sè

casus, inquam, ille erit actioni obnoxius alterius casus; & hic rursus alterius, ob eandem causam, & sic deinceps.

XIII. Inesse vero potuisse, quod ajebant, temerariæ huic atomorum concursioni infinitæ præsentem etiam Universi ordinem; idipsum est, ac necessario fortuitæ, & essentialiter perturbatæ, inordinatæque concursioni illi, ratum, certum, constantem tribuere ordinem, quod pugnans est. Neque nos terrent concursionibus infinitis illis suis, quæ nec infinitæ revera fuissent, cum tandem habuissent finem in hoc efformando rerum ordine; nec ab ipsa ortæ natura materiæ, dum, hac permanente, illæ interiissent; neque tandem efficere potuissent aliud, quam multiplicare inordinationum, confusorumque occursuum numerum; aliquem vero inducere ordinem rerum, nequaquam: repetitæ enim pluries fortuitæ atomorum concursiones non minus valent ad pauca consocianda, ac, nova succedente eorum perturbatione, ad illa fortuito coadunata dissocianda.

Quod si quis admirabilem harmoniam, concentumque rerum consideret, ac „ tam certos cœli motus, tam ratos „ astrorum ordines, vicissitudines anniversarias, cum summa salute, & conservatione rerum omnium (1); tum „ terram universam vestitam floribus, herbis, arboribus, „ frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur: adde fontium gelidas perennitates .... Hunc tantum ornatum ex corporibus huc, & „ illuc casu, & temere concursantibus potuisse effici, cuiquam ne sano videri potest? Facilius quoque intelligeretur a Deo O. M. hominibus esse provisum, si esset tota „ hominis fabricatio perspecta, omnisque humanæ naturæ „ per-

H

„ sè devienne un poulet, un chien „ &c. il est necessaire qu'une Cause intelligente dirige le mouvement de la matiere, qui le fait „ croitre „, &c. Legatur Lactantius *de ira Dei cap.* 10. hanc præclare insaniam refutans.

(1) Cicero *lib.* 2. *de nat. Deorum*.

„ perfectio . Præsertim vero animum ipsum , mentemque „ hominis , rationem , consilium , prudentiam , qui non „ divina cura perfecta esse perspicit , is his rebus mihi vi- „ detur carere „ . Extat itaque , extat plane summa , sapientissimaque rerum omnium causa cuncta prospiciens , omniaque dirigens mirabili providentia , quæ cum *attingat a fine* , *usque ad finem fortiter* , *suaviterque omnia disponat* , sic omnibus essentia , præsentia , potentiaque adest sua (1) , ut *esse* , vitam , operationem , & omnia cunctis largiatur rebus , prout collata eis deposcit natura , quam perficit , non evertit . Hæc qui neget , ea negat „ quæ non modo ut fierent „ ratione eguerunt ; sed intelligi qualia sint , sine summa „ ratione non possunt „ (2) : negant autem improbi homines ,

(1) S. Thomas 1. *par. qu.* 8. *art.* 3.

(2) Cicero loc. cit. : id quod confirmari vel iis posset , quorum in Deum , Deique Providentiam animus satis compertus est . Sic Voltæreus *Nouvaux Melanges to.6. pag.*294 „ L' univers ne nous atteste-il pas qu' il est l' ouvrage de „ une intelligence? . . . Tous les sa. „ ges conviennent que la matiere „ est indifferente au mouvement , „ & au repos „ &c. At satis jam constat hujus, ceterorumque hujusmodi hominum eam unice esse scribendi , agendique constantiam , ut sibi perpetuo contradicant . Ecce : quid sibi ea volunt quæ habet *Poeme pour l' encourag. des arts* „ Tout „ s' arrange au hazard , & rien „ n' est a sa place „ &c. ; Quæ scribit *Poeme sur le dèsastre de Lisbonne* ; quæ evomuit adversus Providentiam in *Roman dell' Hermite* , & alibi sæpe ? Eo scilicet tendunt , ut quod altera manu plantat , evellat altera ; utque ne aliquid sit tam profanum , tam impium , tam blasphemum , quod scriptis ejus deesset. Legatur doctus Mr. L'Abbè François *observations sur la Philosophie de l'histoire* , *& le Dictionnaire philosophique* . De Bælii inconstantia hac ipsa in re non opus est ut dicamus , cum neminem lateat . Componat qui poterit ea , quæ in *Diction. Art. Epicurus Rem. K.* ; *Art. Ovidius Rem. C.* ; *Artic. Sommona - codom. Rem A.* , cum illis, quæ habet *Articulis Pyrrhon. Paulliciens* , & alibi . Sed ad rem nostram legendus est , præter Ciceronem loc. cit., Lactantius *Div. Instit. lib. 1. cap.* 5. ubi ex Ethnicorum plurimorum testimoniis Dei vindicat Providentiam : tum *lib.*2. *cap.*9.; atque *de ira Dei cap.*9. *seqq.*

nes, qui necessaria dirigi temeritate malunt, quam regi consilio, atque sapientia.

§. IV.

An ex congenita corporibus gravitate, & attractione universali, mundus potuerit existere, sublato Deo.

XIV. Sed Athei ecce novam pertentant viam Newtoniani (1), vel Cartesiani repente effecti; ac per inditam materiæ gravitatem, congenitamque mutuam

H 2 at-

(1) Pugnat revera Leibnitius *second ecrit Recueil de diverses pieces*, mathematica Newtonis principia non parum his nostris profuisse adversariis „ Je ne crois pas, „ qu' on ait sujet d' ajouter, que „ les Principes mathematiques de „ la Philosophie sont opposez à „ ceux des Materialistes. Au con„ traire, ils sont les memes „ Confer etiam Mr. Holland. *Reflex. Philos. &c chap.* 4. qui in similem devenit sententiam. Ad Cartesianam vero opinionem quod pertinet; idem, immo vero adhuc gravius est Cudworti, atque Moshemii judicium. Nam non solum ille *syst. intellect. cap.* 1. §. 46. dixerat „ Aristotelis Philosophiam „ magis cum pietate, & religione „ erga Deum convenire quam „ Cartesii placita.... atque sic „ de rerum principiis egisse, ut „ Democriti doctrina infinitis mo„ dis ab ea Cartesii superetur „; sed ipse Moshemius, illo semper in reprehendendo clementior, *in* §. 5. *dissert. de natura genitrice*, alia multa habet, quæ non admodum Cartesianis placeant. Vid. etiam Bayle *Art. Leucippus*; atque Buddeus de *Atheismo cap.* 1., §. 25. Tamen Rousseojus non male hic animadvertit *tom.* 3. *Emile pag.* 45. *edit.* 1761. ex utriusque memorati Auctoris hypothesibus semper stare, ut prima fuerit Causa cuncta efficiens voluntate, ac potestate movens. Interea illud de Cartesiana opinione ferendum judicium censemus, quod a plerisque latum refert P. Bertier *Principes Physiques tom.* 1. *lib.* 1. *ch.* 3. „ La „ plupart des Physiciens regar-

„ de-

attractionem, aut vorticibus inductis (quas opiniones non hujus loci est explicare, nec vero necesse est vulgo notas) effici potuisse Mundum ajunt, omni sublata causa quacumque alia. Verum in alterutra sententia, aut sola fieret motus impulsione, aut ea simul, ac attractione: primum manifeste postulat impellentem causam a materia diversam, quæ impulsum recipit: alterum rursus eamdem postulat im pellentem causam, sine qua nulla esset vis centrifuga, quia nulla projectio, adeoque nec attractio; cunctis enim in commune gravitatis centrum semel proruentibus, ibi perpetuo quievissent (1). Qui si explicare id posse putant per attractionem, & repulsionem; intelligant, necesse primum esse, ut determinatis, proportionatisque distantiis collocent corpora, ut mutuas possint deinde exerere vires. Verum quænam positionis istius diversæ causa in materia ad locum quemcumque natura sua indifferenti (2)? Quæ ratio constantis positionis illius in fortuita materiæ particularum concursione? Neque vero eo deferri, ibique statui poterant per mutuas vires illas; nam intelligi primo debet determinata illa positio veluti causa, deinde virium expansio tamquam effectus. Maxime vero velim ut explicent, quid nam ad motum illum inducen-

„ derent sa formation de l' Univers comme un Roman Philosophique „ Vid. etiam Pluche *histoire du Ciel tom. 2. le Monde de Des-cartes*; & Mad. du Chastellet *Institutions Physiques chap.7. §.118.* De hypothesi vero Newtoniana hæc fuit Lipsiensium sententia an. 1729. „ Totum Newtonianarum virium apparatum in physica astronomica fabulam theatralem esse, nullam habentem extra cerebrum realitatem „ Vid. Pluche ibid. *Le Monde de Newton*, & Mad. du Chastèllet. *chap. 16. §. 395. seqq.*

(1) Vid. Newton. *Philos. nat. princ. math. definit. 5.* & Georgius Cheine *cap. 1. de tertia motus lege*.

(2) Newtonus ibidem Scholio generali „ Corpora omnia . . . . . regularem orbium situm primitus acquirere per leges hasce minime potuerunt „ Confer laudatum Cheine *cap. 2. §. 24.* quo loco & seqq. totam accomodam suscipit Newtonianam hypothesim ad Dei existentiam, providentiamque confirmandam.

cendum possit eis isthæc materiæ gravitas, vel attractio prodesse (1), quacumque alia causa rejecta eumdem imprimente motum. Nam gravitatis notio, quemadmodum S. Thomas (2), aliique (3) animadvertunt, exhibet quidem *principium, quo moveri corpus possit*; non autem, *ut semetipsum moveat, cum potentia activa motus oporteat, ut semper sit in alio ab eo, quod movetur*. Quare doctissimus Poliniacus (4) post multa de gravitate eleganter dicta, quæ prima nequeat dici motus causa, concludit:

Materies omnis, quaqua spectare lubebit,
Mobilis est per se, non per se mota: neque ullam
Affectat mundi partem, superamve, vel imam &c.

eodemque fere modo ratiocinantur ceteri viri docti (5). Postremo, cum gravitati huic adeo fidant, quid, si essentialem eam esse materiæ denegem? Ita quidem sensit ipse Newtonus (6), Georgius Kein (7), ceterique ex ea disciplina.

Sane cum gravitas hæc sit ad aliud, hoc est relativam exhibeat sui notionem, statim intelligo, si unicum existeret corpus in mundi centro positum, nullam exerere gravitatem posse in aliud; id quod laudatus Newtonus sentiendum reipsa scribit sive in hypothesi sua, sive in aliena; hoc est sive Mundi centrum sit terra, sive Sol (8). Jam si essentialiter tota materia gravitet, ex eadem totius materiæ essentia tota quidem in unum, idemque gravitabit centrum:

(1) Pro eodem a Newtono gravitatem, attractionemque sumi patet, tum loc. cit. *tum definit.* 5.; Vide rursus Cheine ibid. §. 23.

(2) 5. *Metaph. lect.* 14.

(3) Lege iterum Cheine ibi, & Joan. Keill. *introduct. ad physicam* &c.

(4) *Lib.* 4. *vers.* 518.

(5) Inter ceteros Bentley *Refutation de l'Atheisme prop.* 3. „ Que cette gravité, qui sert de base a tout le mechanisme, n'est pas mechanique elle meme, mais doit venir immediatement de la volonté de Dieu „.

(6) *Schol. definit.* 8.

(7) Ubi supra sæpissime.

(8) *Lib.* 3. *hypothesi* 1.

trum : ad hoc autem vel ſi pervenit, ibi & neceſſario quieſcet, nullumque præterea excitabit motum; hoc eſt jam omnia neceſſario quieſcent. Verumtamen pervenire ad id centrum minime potuiſset, tum, quod infinita cum ſit, neque intelligi centrum ullum in ea poſset, neque adeo gravitas in illud ferens; tum quod cum ab eadem naturæ ſuæ neceſſitate haberet ut eo exiſteret in loco, a quo in locum alium gravitare ajunt; eſset ſimul, & non eſſet neceſſario illo in loco, eo quod tenderet eſſentialiter in alium. Adhuc tamen centro hoc confiſto, aliiſque permiſſis, ſi nondum ad illud pervenerit, ſed per repulſionem, vel projectionem ab eo elongetur; conſequens erit carere materiam illo, quod ipſi eſſet eſſentiale, & quidem eo privari per alterius materiæ repulſionem: quod rurſus eſt gravitationem eſse ſimul, & non eſse ei eſſentialem, eo quod ſimul eſſentialiter exerat, & eſſentialiter careat: in eademque rei eſſentia oppoſitas eſse proprietates eſſentiales; quandoquidem materia, quæ tota eſt neceſſitate, naturaque eadem conſequenter affecta, alia quidem gravitaret in centrum, alia in centro poſita aliam projiceret per repulſivam virtutem, quod abſurdiſſimum dictu eſt.

XV. Atque hæc quidem univerſalis corporum gravitas, mutuæque illæ repulſivæ, attractivæque vires, ſi reipſa ſint in Mundo, iiſdemque cuncta dirigantur ordine, Deo tamen illas & conferente, & conſervante; nihil erit, quod turpe, abſurdumque conſequatur (1). Verum, ſublato

(1) Neque vero fortaſſe noviter ſunt vires illæ inventæ; neque admodum ab veterum qualitatibus nonnullis alienæ. Ac S. Thomas 7. Phyſicorum lect. 3. „ Omnis „ motus localis, ait, eſt pulſio, „ vel tractio &c. „ quæ fuſe ibi explicat. Paullo vero poſt motum tradit ex utroque compoſitum. „ Volutio, ex tractione pulſione- „ que componitur; movens enim „ partim pellit, partim trahit id, „ quod motu hoc agitatur.... & „ cum aliquid vertitur, ex una par- „ te pellitur, ex alia trahitur„ &c. Alia ſubdit multa, ex quibus fortaſſe,

to Deo, si brutæ, essentialique materiæ necessitati diversas illas tribuas vires, diversos motus, actionem, reactionemque diversam; ab eodemque veluti materiæ sinu tot, tamque varias prodiisse velis elegantissimas res, flores, plantas, fructus, bruta, homines, cœlos: hæc, inquam, si affirmes, non jam hominem ratione utentem, sed delirantem, vel furentem dicam.

Quamquam illud præterire non possum, Atheos, non modo quam longissime a Newtoniana recedere hypothesi, cum negant esse Deum primam virium illarum, cæterarumque naturæ legum causam, id quod semel iterumque Newtonus affirmat (1); verum etiam cum hypothesim illam *mathematice* dumtaxat ab eo exornatam (2), illi veluti *physice* exi-

tasse, ut ajebamus, non omnino nova videri possint hæc, quæ fuerunt deinde a recentioribus illustrata. Neque etiam valde ab occultis distare Scholasticorum qualitatibus, animadvertit Leibnitius *recueil de diverses pieces 5. ecrit num.* 113.; atque Eminentissimus Poliniacus hæc de Newtono scripsit *lib.* 4. *ver.* 1067.

Virtutem occultam, & cæcos in corpore sensus
Debet Aristoteli; Vacuum tulit ex Epicuro.

Legatur eadem de re Cl. Gerdil *L'immaterialitè de l'Ame* 4. *part. pag.* 105.

(1) Vid. præsertim *Schol. Gen. philos. nat. princip. math.*

(2) *Lib.* 1. *definit.* 8. *pag.* XI. edit. Coloniæ 1760. „ Mathematicus, „ ait, dumtaxat est hic conce„ ptus . . . . Voces autem attra„ ctionis, impulsus, vel propen„ sionis cujuscumque in centrum, „ indifferenter, & pro se mutuo „ usurpo; has vires non physice, „ sed mathematice tantum consi„ derando. Unde caveat Lector, „ per hujusmodi voces cogitet me „ speciem, vel modum actionis, „ causamve, aut rationem physi„ cam alicubi definire; vel centris „ (quæ sunt puncta mathemati„ ca) vires vere, & physice tri„ buere, si forte aut centra trahere, „ aut vires centrorum esse dixe„ ro „. Hæc ille, in quo aliquis fortasse majorem desiderabit constantiam, quandoquidem mathematicis notionibus illis utatur ad cetera, quæ physica reipsa sunt, explicanda ut certa, demonstrandaque. Quantum vero intersit discriminis inter notionem mathematicam, & physicam, non opus est monere. Hoc interea teneamus, frustra abuti Atheos hypothesi

existentem sumunt, eademque ad suam, qualicumque modo firmandam improbitatem, abutuntur. Hæc quidem agendi ratio ruinosam ostendit esse causam eorum, quam emendicatis huc illuc sustentaculis, sive ex recentioribus arreptis, sive ex veteribus, munire curant. Mutuantur scilicet ab istis *genitricem, effectricemque* vim quandam (1) materiæ inhærentem, cui tribuant naturæ mirifici effectus omnes: nimirum cum nullam existere velint sapientem causam, cujus ignorant naturam, facile inducunt aliam stupidam, incompertam, repugnantem.

XVI. Equidem negare meo jure possum, talem inesse materiæ vim, qualem Stratonici, nonnullique Stoicorum commenti sunt, nostrique nunc volunt minuti Philosophi. Verumtamen esto: sit vis hæc in materia: quid vero est quamobrem, cum vi eadem tota sit prædita materia, neque tota hujusmodi emittat effectus, neque similes? A causa enim intrinsece necessaria, nullaque aut cogitatione, aut libertate donata, quo nam modo diversi possunt prodire effectus? Atqui adeo multiplices sunt, tamque diversi effectus, ut nemo possit, non dicam omnes, sed vel paucos cognoscere. Accedit, quod cum vis illa essentialiter materiæ inesset, eodem semper inesse debuisset modo; hoc est nec aliquando augeri, nec umquam imminui, nulloque puncto temporis ab novis semper emmittendis, gignendisque rebus cessare: hinc novi semper, infinitique numero homines necessario ex limo prodire, ac reliquarum specierum animantia debuissent, quæ, utpote essentialis virtutis, necessariæque essentiæ effectus, necessaria, & illa esse

thesi mathematica, veluti reali, rata, atque necessaria naturæ lege; nec recte facere Newtonianos, qui quod mathematice sumptum a Newtono est, ut physicum, atque existens sibi sumunt: qua in re jure reprehenduntur a P. Bertier *Principes physiques liv.1. ch.3.*, atque ab eruditissimo Præsule Gerdil *L'immaterialitè de l'ame part.4. num.30, pag.105.*

(1) Vid. Cicero *lib. 2. de nat. Deor.* & Cudwortus *Dissert. de natura genitrice*; atque S. Thomas *in 3. Metaph. lect.* XI., *& 2. con. Gent. cap.* 38.

ſe deberent, omniſque adeo corruptionis, interituſque expertia. Quid enim in ea poſſit agere, quæ & a neceſſaria ſint emiſsa natura, & ea ipſa gaudeant natura neceſſaria præter quam nihil ſit aliud? Quæ virtus ſi paullatim exeri dicatur, argumento erit carere natura ipſa ſua completo effectu: quo ſi natura ſua careat, quomodo ſe ſola, naturaque eadem ſua ſibi comparabit? Dando enim ſibi, quod non habebat (ſi vel fingi id poſſet), aut eſſentiale aliquid, aut accidentale quid ſibi daret: primum nequit, quia propriam ſibi mutaret eſſentiam; ſed neque aliud, cum repugnet ab re neceſſaria, neceſſario operante, accidentale quid prodire, vel hujuſmodi quid recipi. Si vero imminuta vis iſta dicatur, ita ut modo nec homines, nec bruta poſſit emittere; igitur eſſentialis ei non erat: numquam enim integra manente re aliqua minui, vel deficere eſſentia ejus poteſt. Ac ſi imminuta ſit, aliqui tamen, etſi pauciores, a materia qualibet adhuc prodibunt hujuſmodi effectus, homines, jumenta, aliaque. Ita ne vero? Quo ergo abiit materiæ illius eſſentialis, tamque mirifica, & ſapiens virtus? Quomodo imminuta, vel amiſſa genitrix virtus illa ad animantia producenda, perdurat tamen adhuc in plantis ex earum ſeminibus gignendis, atque eadem quidem altitudine, amplitudineque, qua antea fuiſse novimus: perinde ut homines, & brutam quæ cum diverſâ mox ab ea, qua antiquitus eveniſſe confingunt, ratione naſcantur, ejuſdem ſcimus eſſe ſtructuræ, formæ, virtutis? Cur ſiſtunt intra quoſdam altitudinis gradus, vel unde determinatum ſumunt augmentum? In tanta autem partium individui unius, puta hominis, varietate, quæ fuit prior a genitrice vi illa effecta? Neque vero dicturos arbitror mutuo conſenſu, collatiſque conſiliis (1) ſingulas materiæ partes eodem tempore mirificum illud incho-

(1) Ad rem Lactantius *Divin. Inſtit. lib. 2. cap. 9.* „ Natura enim, „ qua dicis orta eſſe omnia, ſi „ conſilium non habet, efficere „ nihil poteſt: ſi autem generandi, aut faciendi potens eſt; ha„ bet

choaſse opus; id enim neque mechanicis explicari legibus, neque vero effici ab illis potuiſset, quippe gradatim ſibi mutuo ſuccedentibus. Ergo, ſanguis ne humano in corpore cor anteceſſit? Minime: anteceſſiſset enim effectus cauſam. Num iſtud illum? Auſers jam huic motum, vitam, nutrimentum. Idemque de ceteris corporis partibus dictum volo, quæ cum invicem ſe juvent, & invicem pendeant (1), eodem prorſus tempore, & inchoari, & gradatim perfici debuerunt; id quod non a mechanicis ſolis effici poteſt legibus, ſed ſupremæ cauſæ voluntate, ſapientiſſimoque conſilio naturam efficiente, virtutem ei, legeſque conferente, eamdemque conſervante, & ad agendum applicante omnino eſt opus.

§. V.

De Spatii natura.

XVII. ETſi ex his, quæ hucuſque ſunt diſputata, ſatis appareat, quam ſit abſurda, perpetuiſque pugnantium notionum laqueis implicata Atheorum ſententia: tamen quum Deum de medio auferre in animum induxiſſent, mirandum non eſt, in eas ſe rerum, notionumque pugnas, ac tenebras conjeciſse, quibus ad obſcurandam Dei exiſtentiam eis opus erat. Illud vero non poteſt non magnopere mirabile videri, in eorum numero Philoſophorum, qui Deum exiſtere & agnoſcerent, & faterentur, tamen repertos eſse, qui putarent, non repugnare materiæ cogitandi

„ bet ergo conſilium, & propterea Deus ſit neceſſe eſt. Nec „ alio nomine appellari poteſt ea „ vis, in qua ineſt & providentia „ excogitandi, & ſolertia, poteſtaſque faciendi.... Et a quo „ fieri mundum negas, ab eodem „ plané fieri, mutato nomine, „ confiteris.„

(1) Confer Carteſium *de formatione fœtus*, atque Harvæum *de generatione animalium*; tum Cudwortum *Diſſert.* ſæpe laudata *de natura genitrice*.

tandi facultatem, & vim: tum qui ſpatium ſua ipſum natura æternum, increatum, infinitum eſſe, aut Dei *ſenſorium*, ejuſque immenſitatem eſse contenderent; nec tamen animadverterent, homines præſertim ſolertes, atque acuti, alterutro eorum poſito, Atheis ad Dei exiſtentiam inficiandam muniri iter (1). Profecto, ut de ſpatio dicam (nam de cogitandi vi, quam materiæ non repugnare ſunt arbitrati, ſeorſim deinceps agam), ſi hoc ſemel Atheis detur, præter Deum aliquid aliud ſua ipſum natura æternum exiſtere; ecquis eſt, quin perſpiciat, ut lata Atheis aperiatur ad materiæ æternitatem propugnandam, Deumque adeo excludendum via? Nam neque in materiam per ſe æternam agere potuiſset Deus (2); & proprietatum diſcrimina inter materiam, & ſpatium declinare facilius poterunt, atque contendere, quod veteribus nonnullis (3) placuiſse tradit Bælius ex Ariſtotele (4), ſpatium ipſum eſſe materiam corporum. Quod ſi etiam ſpatium ipſum eſſe Dei ſenſorium, atque immenſitatem dederis; ecquid erit, quod ad Spinoſianum portentum ſtatuendum (5) præterea deſideretur?

I 2 At-

(1) Leibnitius *Recueil. de diverſes pieces cinq. ecrit* „ Il ne s' enſuit que la matiere ſoit eternelle, & neceſſaire, ſi non en ſupposant que l'eſpace eſt eternel, „ & neceſſaire; ſuppoſition mal „ fondée en toutes manieres &c.„ Vide etiam Cl. Gerdil *L' immaterialité de l' Ame prem. part.* §. 1, *ſeqq.*

(2) Diligenter id animadvertit Bælius in *Diction. Art. Epicure Rem. T.* „ Si la matiere etoit in„ crée, Dieu ne pourroit la mo„ uvoir, ni en former aucune „ choſe .... Qui eſt ce qui auroit „ mis des bornes à la puiſſance, & „ aux attributs de la matiere? &c. „ Et quidem Epicurum, atque Lucretium increatum, æternumque recepiſſe ſpatium, ut facilius poſſent Deum negare, monuit Poliniacus *Antilucret. lib.2. ver.*340.

(3) Ibid. *Art. Zenon. Rem. T.* in margine *Num.* 122.

(4) *Lib.*4. *phyſic. cap.*7.

(5) Id ſæpe Leibnitius argumentando concludit loc. cit. *quatr. ecrit.* numeris 27. 29. *ſeqq.*; confer laudatum Gerdil. ibid. *par.* 4. §. 18.

Atque ut mittam aliorum de ſpatio numerare ſententias, ut Gaſſendi (1) Mori (2) Clarckii (3) &c.; Lockius quidem (4), ac Newtonus (5) eo uſque progreſſi ſunt, ut, etſi imprudentes, plane tamen erigere Atheos, armareque videri poſſint. Nam quamvis Lockius rationem perſequens, qua ratione primum materiam extitiſſe arbitraretur, ænigmatice maluit loqui, & ab exponenda ſententia ſua abſtinuit, licet a multis ſæpe, imprimiſque a Coſte (6) rogatus; Newtonum certe alloquutus Coſte ipſe, Lockio jam vita functo, accepiſſe ſe ab eo teſtatur arcani explicationem. Nempe percontanti reſpondiſſe Newtonum, ſe omnium primum illius rei hanc inveniſſe cauſſam, eamdemque aliquando ipſi aperuiſſe Lockio ſecum de materiæ creatione colloquenti: quod virtute Deus ſua effecerit, ne quid in ſpatii natura ſua penetrabilis, æterni, neceſſarii, infiniti partem penetraret: qua ex re conſequens fuerit, ut impenetrabili reddita illa ſpatii parte, adeoque participe effecta unius eſſentialis qualitatis materiæ, ſubinde vero etiam mobilitatis, quæ altera eſt eſſentialis materiæ qualitas, materia inde exiſteret (7). Jam vero

(1) *Phyſic. lib.2. ſect.1.*

(2) *Enchirid. par.1. cap.8.*

(3) *Recueil de diverſes pieces Replique 1.* & ſeqq.

(4) *Eſſai ſur l' Entendem. humain. liv.4. ch.10. §.18.*

(5) In *Optica quæſt.* 20.; & *Shol. gen. philoſ. nat. princ. math.*

(6) Vid. annotatio Mr. Coſte ad *caput* 10. *lib.*4. §.18. *Lockii eſſai ſur l'entend. hum.*

(7) Somnium hoc ibi Coſte fuſe explicat, & refutat. Sed & Gerdilius *loc. cit. part.*1. §.4. egregie, ut ſolet, refellit, ac contra argumentationis leges Newtonum hic peccare oſtendit, præſertim quum ab impenetrabilitate extrinſeca, hoc eſt orta a cauſa corporum accurſum in eam ſpatii partem impediente, intrinſecam concludit eſſe conſecuturam ſpatii ejuſdem impenetrabilitatem. Subjungit vero „ Je ſuis êtonnè que cette re„ marque ait èchappé a M. New„ ton, & a M. Locke; un Péripa„ tèticien ne l' auroit pas man„ quèe . . . . . Peut être meme que „ le cas, que M. Locke paroit „ faire d' un tel raiſonnement, „ pourroit conſoler un peu les „ Scholaſtiques du mépris que M. Lo.

vero quum Newtono auctore (1) spatium sit Dei immensitas, hæc vero ipse Deus (2); quumque eodem rursus auctore, cui assentitus est Lockius, teste Coste (3), spatium æternum sit, necessarium, infinitum: spatio in materiam converso, Deus certe ipse factus esset materia, aut mundus, id quod cum Spinosismo ut conveniat, & congruat, ecquis est, qui non cernat?

XVII. Ac certo quidem, si increatum, suaque natura æternum sit spatium, aut immensitatem, atque sensorium Dei esse dixerint; vel Deum alium esse futurum a Deo vero; vel evasurum ipsum Deum verum (utrumque autem impietatis jure redarguit Bælius (4) ipse) adeo mihi

„ Locke témoigne avoir pour „ eux „. Qua de re miror Bruckerum *hist. philos. par.2. lib. 2. c. 14. pag.136.* Lockium de spatio agentem, ut sobrie, prudenterque philosophatum laudare. De Newtono quidem accipio, quod scribit *tom.5. ibid. pag. 645.* „ egregium „ illum certe Mathematicum fu„ isse, at non egregium Philoso„ phum„. Cujus sane rei etsi alia deessent argumenta, non leve illud esset, quod hic habemus præ manibus. Lege Gerdil loc. cit. *pag. 21.*

(1) *Schol. gen. philos. nat. princ. math.*, quo loco etsi dicat„. Deus „ non est duratio, vel spatium „ equidem non intelligo, nisi ex ejus sententia vere spatium sit, quomodo statim subjungat „. Exi„ stendo semper ubique duratio„ nem, & spatium, æternitatem, „ & infinitatem constituit..... „ Et Deum nihil pati ex corporum „ motibus, illaque nullam sentire „ resistentiam ex omni præsentia „ Dei „ &c. Quid quod adeo sæpe vocat spatium *Dei sensorium?* Ex qua loquendi ratione Leibnitius loc. cit. *2. & 3. ecrit.* sic efficit futurum spatium Divinæ sensationis organum, ut nihil Clarckius reponere potuerit quod solidum, difficultatique solvendæ accomodatum fuerit.

(2) Id ratio ipsa evincit recte de Deo sentiens: qua de re non modo Theologi, quorum princeps S. Thomas 1. *cont. Gent. a cap.21. usq. ad* 31. multis id docet; sed vel ipsi Philosophi Ethnici id docuerunt, quos inter Plotinus *Ennеade 2. lib. 9. cap. 1.*, atque Simplicius in *Enchirid. Epicteti*, aliique a Petavio laudati *Theologic. Dogmat. tom.1.lib.2. cap.1. & 2.; atque lib. 3.*

(3) Loco hic. cit.

(4) *Diction. Art. Zenon. Rem. F.* „ Le

hi est exploratum, ut vix ulla indigere demonstratione censeam. Quod idem intelligo jampridem Tertulliano (1) esse visum sic argumentanti „ Et locum Deum futurum quia innatus, & infectus, ac per hoc æternus, & Deo par „; eamdemque fuisse sententiam Titi Bostrensis, Damasceni (2), Athanasii, Theophili, Ambrosii, Augustini, aliorumque, efficit doctissimus Monilia (3), qui eorum recitat testimonia. Sane autem tam arcto sunt colligatæ nexu ideæ rei necessario natura sua existentis, & rei omnibus præditæ perfectionibus; ut altera alteram necessario inferat, atque altera necessario ab altera fluat; id quod & nos paullo ante ostendimus, & omnes ratione utentes fatentur (4). Quæ cum ita sint, necesario ex illa de spatio sententia turpissima consequentur absurda, pugnantesque proprietates, hoc est perfectissimum simul, atque imperfectissimum fore spatium ipsum. Quis enim ignoret id, quod extensum sit & constare partibus, & compositum esse, ac dividi, commensurarique ceteris pose? Extensum vero adeo volunt, ut vel nul-

7. „ Le dernier parti est une impieté formelle, l'autre est pour le moins une impieté materielle „.

(1) *Lib. 1. adversus Marcionem*.

(2) Fuit is a nonnullis in suspicionem vocatus, quasi *lib. 1. de fide orthod. cap.* 13. Deum effecerit esse ipsum spatium; quo nihil in sanctissimum, doctissimumque virum dici injuriosius potest. Diligenter legatur idem locus, tum *Dialog. contr. Manich.*, quem P. Le Quien *tom. 1. pag.* 427. genuinum ostendit esse ejusdem opus, fietque certior quisque hujus rei.

(3) *Tom. 2. contro i Materialisti par. 3. sez. 2.*

(4) Id S. Thomas toto fere *lib. 1. cont. Gent.*, ac dimidio sequentis demonstrat. Abbadie *chap. 6. de la verité de la Religion Chretienne*. „ Un être, qui existe nécessairement, à aussi toutes les perfections. Celà est reciproque &c. „ Clarck. *de l'exist. de Dieu ch. 7. & 9.* „ Ce qui existe par soi-meme, doit étre revetu de toutes les perfections possibles &c. „ Vid. Cudwortus *syst. intel. cap. 5. §. 24.*, & Moshemius ibid. *nota T.* multas & rationes, & auctoritates ad rem hanc afferentes. Postremo S. Augustinus sic paucis hoc decernit *lib. 6. de Trinit. cap. 6.* „ Omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est, & quæ creatura non est, Deus est „.

nullius circumſcriptum extenſionis finibus velint (1) : itaque & conſtabit partibus, ſine quibus nulla extenſio, & erit compoſitum. Acute enim, rectiſſimeque S. Thomas (2) argumentatur: id, quod extenſum ſit, ſimplex non eſse; quod non ſimplex, compoſitum; quod compoſitum, partibus coaleſcere, poſteriuſque eſse ſuo componente. At vero quidquid compoſitum ſit & poteſt diſsolvi, & indiget aliquo componente; ſi enim compoſitio eſt, ex pluribus eſt: quæ autem ſecundum ſe ſunt plura, in unum non conveniunt niſi ab aliquo componente uniantur. Si igitur extenſum, atque compoſitum partibus ſit ſpatium, habuerit neceſſe eſt a quo componeretur, atque hoc efficiens eſſet illius cauſa: quod ſi habeat cauſam, non jam ſuapte natura æternum, ac neceſſarium poterit eſse. Neceſſarium autem per ſe volunt „ „ nec pauciores, ut ait Morus (3), quam viginti habere „ titulos, quibus inſigniri ſolet Divinum Numen ..... ei- „ que dumtaxat operationes vitales adjungendas remanere,„ (quam Philoſophicum ſit illas eis denegare non intelligo, quandoquidem *delineationem quamdam eſſentiæ Divinæ* in tot attri-

(1) Eaque de cauſa neque metiri, neque componi, vel dividi putant Gaſſendus *lib. 2. ſect. 1.*, & Clarke *repliq.* 4. *a M. Leibnit.*, id quod mihi inaniſſimum, ac futile videtur. Quantum enim conſequi èxinde poterunt, id totum erit, ut ſejungi partes, in aliumque transferri nequeant locum; at diſtinctas negare partes ejuſdem, diviſibiles, adeoque & compoſitum ſpatium eſſe, id clarioribus adverſari mentis notionibus mihi videtur, effecitque reipſa Bælius *Art. Zenon d' Elèe Rem. T.* „ Vous allègueriez en vain que l'infini „ n'a point des parties, cela eſt „ faux de toute neceſſitè dans tous „ les nombres infinis, puiſque le „ nombre renferme eſſentiellement pluſieurs unitez ..... Et „ l'eſpace occupè par le Soleil, „ n'eſt point le meme que celui „ qui eſt occupé par la lune .... „ car ſeroient penetrez l'un avec „ l'autre „ Neque vero quod totum ejuſdem eſſet naturæ, idcirco ſimplex eſſet: faceret id quidem ne hetherogeneum eſſet; ut vero compoſitum, diviſibile, extenſum non eſſet, numquam faceret.

(2) 1. *Cont. Gent. cap.* 18. Vid. etiam in 12. *Metaph.*

(3) *Enchir. par.* 1. *cap.* 8. §. 15.

attributorum ſpatii enumeratione confeciſſe ſe dixerit : divina autem attributa ipſius identificata eſſentiæ ſic unum aliud infert, omniaque ſic copulantur, ut vel uno ſublato, corruant cetera ; vel uno recepto, rejici nequeant alia : igitur vel omnia det ſpatio attributa divina, vel deneget ei omnia). Neceſſarium, inquam, illud volunt ; ergo nec diſſolubile, neque compoſitum, neque extenſum, partibuſque conflatum, hoc eſt non quod volunt ſpatium : ſicque factum ſimul, & non factum ; extenſum, & non extenſum ; uno verbo perfectiſſimum, imperfectiſſimumque, novique plane generis ens ſpatium iſtud futurum, obvia, ordinataque argumentatione concludi jam poſse videtur, quo nihil poteſt pugnantius, abſurdiuſque fingi.

XVIII. Sed pergamus, nam ipſa iſtorum hominum æternitatem, neceſſitatemque intrinſecam ſpatii propugnandi ratio, æternum, neceſſariumque per ſe non fore ſpatium fortaſſe non inepte efficiet. Hujuſmodi illud vult eſſe Gaſſendus (1), quod certum ſit potuiſſe Deum ab æterno Mundum hunc condere, alioſque adhuc poſſe innumerabiles condere; niſi autem ab æterno extitiſſet ſpatium,& quidem extenſione infinitum, neutrum eorum poſſe intelligi. Nec rurſus intelligi ullo modo poſſe Dei immenſitatem, ſi vel eſſet modo ſpatium aliquibus comprehenſum finibus, vel conditum aliquando, circumſcriptumque fuiſſet.

Mihi vero ſic eſt perſuaſum, minime fuiſſe opus, ut præexiſteret ab æterno ſpatium illud, in quo poſſet Mundus creari, ut contra, ſi ejus, quam vult, naturæ præextitiſſet ; nihil vel ab ipſo Deo potuiſſe in eo effici, imo neque cognoſci, nihilque potuiſſe ſpatium ipſum recipere videatur. Illud velim Gaſſendus, ceterique cum eo ſentientes diligenter animadvertant, quod jam eſt adverſus Atheos conſtitutum ; id omne quod ſua natura æternum, ac neceſſarium ſit, omnino pugnare, ut cuilibet ſit mutationi obnoxium. Peni-

(1) Ibid. *lib.* 1. *cap.* 1.

Penitus defixum mente teneant, quod a S. Thoma (1) traditum, numquam ab eis poterit vel leviter concuti: „ quod „ alicui ex ſua natura, & non ex aliqua cauſa, convenit, „ minoratum in eo, & deficiens eſſe non poteſt &c. „ Intelligant, ſi ſpatium ſua ſemper extiterit natura, nullius poſſe virtuti, actionique, vel poteſtati ſubjici; ſiquidem cum nemini acceptum referat quidquid habet, a nemine id minui, augeri, mutarive poſſet (2): mutationi vero fuiſſet obnoxium, virtutique, & actioni alterius, quum dimenſiones ejus reales (3) nullo antea occupatæ corpore, neque a propria exturbatæ ſede, neque diviſæ; mox, per creationem corporum (quorum quidem dimenſiones ſimul eſse cum dimenſionibus aliis, iiſque compenetrari non poſſunt) fuiſſent diviſæ, corporibus repletæ, ſuaque ſede depulſæ: tum etiam, quod cum ſua natura penetrabile primum fuiſset ſpatium, impenetrabile deinde Dei actione evaſiſſet, prout Newtonus, & Lockius commenti ſunt; non igitur neceſſario ab æterno extitit; nam ſi extitiſset hujuſmodi, nullam ſubire potuiſſet mutationem.

XIX. Præterea autem velim, ut ſpatii iſtius nobis ediſſerant naturam, hoc eſt, velint ne modum, & accidens eſſe, an ſubſtantiam (4); ac ſi ſubſtantiam dicant, num ſpiritualem, an corpoream? Nam quidquid reſponderint, in majora ſemper ſe dumeta proripient, noſtramque confirmabunt ratiocinationem. Neque vero quemquam permovere poſse puto ea, quæ Gaſſendus de entis diſtinctione in

(1) *2. cont. Gent. cap.15.*

(2) Fuſe id efficit Bælius *Art. Epicure*. Vid. etiam Condillac. *traitè des animaux part. 2. ch. 6. traitè des ſenſations.*

(3) Veras, realeſque ſpatii eſſe dimenſiones, ex eorum ſententia, quos hic refutamus, nullum eſt dubium, confirmabiturque ſeqq. annotationibus; dimenſiones vero hujuſmodi eſſe ſimul non poſſe cum dimenſionibus corporum, hoc eſt pugnare ut compenetrentur, manifeſtum eſt.

(4) Confer Bælium loc. cit.; Etſi validius eadem, qua Bælius, uſum argumentatione fuiſſe Sanctum Thomam video in *8. phyſic. c. 1.*

in substantiam, & accidens, vetustate, omniumque consensu firmata, habet, quum veluti diminutam, imperfectamque reprehendit, eidemque tempus, & spatium adjungenda pugnat: nam tum id mihi affirmare videtur quod est in disputatione; tum, quod quantumvis perspicuum id sibi esse dicat, nulla tamen potest ratione intelligi, prout veteres, recentioresque docent (1). Itaque si modus, & accidens sit, proprium habebit, cui inhæreat, subjectum, hoc est aliquam substantiam (2). Hæc vero spiritualis esse nequit, cui hactenus sana Philosophia, adeoque recta ratio dimensiones repugnare docuit, sive materiales, & impenetrabiles, sive *spatiales*, *incorporales*, & *penetrabiles*, quas in sola Gassendi (3) mente extitisse arbitror, quasque ipse risu, contemptuque excepisset, nec sane injuria, si Peripateticus quispiam eas fuisset commentus. Quid scilicet *hircocer-*

(1) Ex veteribus S. Gregorius Nazian. *Orat.* 37. præclara multa de hoc habet, aitque: ne eos quidem, qui *Tragelaphos confixerunt* intelligere posse id, quod neque substantia, neque accidens sit. Atque S. Thomas in *quæstion. disputatis de Spiritualibus creaturis art.* XI. inquit „ Inter substantiam, „ & accidens non potest esse ali- „ quid medium, cum substantia, „ & accidens dividant ens per af- „ firmationem, & negationem, „ cum proprium substantiæ sit „ non esse in subjecto, acciden- „ tis vero sit in subjecto esse „. Vide ex recentioribus Bayle loc. cit.; Arnaldum *de arte cogitandi par.* I. *cap.* 2.; Cudwortum, atque Moshemium. Confer Bruckerum *hist. philos. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. §. XI. ceterosque passim.

(2) S. Thomas in tractatu *de natura* loci, de spatio agens, inquit „ Dimensiones sunt acciden- „ tia, cum sint quantitates; ergo „ non possunt esse in subjecto, nisi „ in corpore. Si ergo esset ali- „ quod spatium infra terminos „ corporis continentis, præter „ magnitudinem corporis conten- „ ti, sequitur quod esset aliquod „ accidens sine subjecto, quod „ est impossibile „.

(3) Ibid. qui adhuc quod est in disputatione sibi certo sumere mihi videtur: nam *spatiales* ponere dimensiones, nec ullis eas confirmare rationibus (quod nec fecit, nec certe potuisset facere) perinde est, ac ipsius velle suadere spatii existentiam, per id, quo negabatur; hoc est dimensiones reales omnes nonnisi corporeæ substantiæ proprietates esse posse.

cervus iste dimensionum erit, hoc est altitudinis, latitudinis, profunditatis; & tamen sine partibus, *incorporalis*, adeoque sine altitudine, latitudine, atque profunditate? Nihil sane id mihi videtur aliud, quam extensio sine extensione, & dimensiones sine dimensionibus; nec mihi solum id videtur, sed prorsus & ceteris non somniantibus (1). Corpora nempe existere in spatio volunt, existere autem alicubi nequeunt nisi dimensionibus eorum locantis spatii dimensiones respondeant; utque diversa sunt locata corpora, sic & locantes spatii partes, quibus semel repletis, nequeunt quidpiam aliud recipere (2). Non igitur incorporales sunt dimensiones illæ, quæ ita repleantur a dimensionibus corporis, ut locati, locantisque dimensiones sibi semper invicem respondeant (3).

Reliquum est itaque, ut spatium corporea sit substantia: quod si hujusmodi sit, perpendant, an non turpissima illa consequantur absurda, quæ contra eos deprehendimus consequi, qui materiam per se æternam volebant: considerent etiam atque etiam quomodonam potuerit Deus, infra æternæ, increatæ, infinitæque substantiæ indipendentes dimensiones, hunc creare Mundum, possitque condere innumerabiles

(1) Solos commemorabo liberioris ingenii homines, quos nonnisi evidentia, ubi directe non ageretur de Religione, potuit ad veritatem compellere. Bælius itaque loc. cit. „ S' il y a quelque nature „ dont nous connoissions avec evi„ dence les proprietez essentiel„ les, c'est l'etêndue: nous en „ avons un idèe claire, & distin„ cte, qui nous fait connoitre que „ les attributs inseparables de „ l'etendue sont la divisibilitè, „ la mobilitè, l'impenetrabilitè „ &c.„ Similia habet *Art.Simonide Rem. F.*: Lockius habet ad rem multa *lib.2. cap.13.* §.4.; *& lib.4. cap.10.*: Roussëojus etiam *Emile tom.3.*

(2) Vera esse quantitate affectas spatii dimensiones Clarke inter ceteros agnoscit, *recueil de diverses pieces 3. replique num.4.* „ L'espace, & le temps sont des „ quantitez „ &c.

(3) Plane invicte ad rem nostram argumentatur S.Thomas loc. cit. *de natura loci*, recentiorumque evasiones fere omnes præoccupat, & refutat.

rabiles alios, absque certissima contradictione, tum quæ esset ex spatii independentia; tum ex dimensionibus ejusdem, quas & admittunt, & vero eas postulat ipsorum sententia? Ea itaque ratio, qua permoti, æternum, infinitumque ponendum spatium sunt arbitrati, ea, inquam, in ipsos recidit.

XX. Neque vero fieri posse ut tale spatium a Deo cognosceretur, paullo ante ad demonstrandum proposueramus. Non ego hic Thomistarum dumtaxat utar invicta, nec umquam eversa, aut aliquando evertenda ratiocinatione, qua cum S. Thoma (1) efficimus, si perfectissimum ens sit Deus, rerumque omnium prima causa, debere in semetipso omnia perfectissime cognoscere, cujus sola participatione, ac voluntate esse res possunt; nec posse aliunde suam de rebus sumere cognitionem, *nisi ab alio in intelligendo dependeat, atque adeo in essendo, quippe suum esse, sit suum intelligere; ac nisi intellectus ipsius sit in potentia* (2)*; & sic indigeret aliquo reducente illum ad actum, quod repugnat, nam hoc esset eo prius*. Non his, inquam, aliisque hujusmodi utar plane invictis rationibus: sed Bælii confessionem afferam expresse ajentis (3), non id posse Deum cognoscere, quod conditum ab eo non sit; cum non alius Deo sit fons cognitionum præter seipsum, nihilque posse ab eo alienum illius juvare cognitionem. Idipsum & Leibnitius (4) pluries animadvertit; non alibi Deum, quam in semetipso res cognoscere: Bossuetius (5) quoque, ut omittam jam ex veteribus Philosophis quammultos,

(1) 1. *Par. qu.* 14.; *&* 1. *con. Gent. cap.*49. *seqq.*

(2) Ibid. *lib.*1. *cap.*51.; legantur, quæ sequuntur, capita.

(3) *Diction. Art. Epicure* de materia increata agens eadem ac nos hic argumentatione utitur. „ Dieu ne peut connoitre la matiere (spatium) s' il ne lui donne l' être. Car Dieu ne peut „ tirer ses connoissances que de „ lui meme: rien ne peut agir en „ lui, ne l' eclairer &c. „

(4) *Recueil de diverses pieces quatr. ecrit. n.*29. „ Dieu s' apperçoit des choses en lui même... „ Dieu connoit les choses parce „ qu' il les produit &c. „

(5) *Opusc. de libero arbitrio*.

tos, præsertim Plotinum, & Boetium, quorum Petavius (1) testimonia recitat, numerare. Planum est autem, quod Deus cognoscere non possit, id esse nullo modo posse; atque adeo pugnare istiusmodi spatium, quod, si esset, cognosci a Deo non posset.

XXI. At fuit semper Deus immensus, quod attributum ipsius intelligi nequit, demto increato, infinitoque spatio (2). Isthuc jam veniebam. Ergone divina immensitas per dimensiones quantitatis ubique protenditur? Partibus igitur coalescet, sine quibus intelligi quantitatis extensio non potest (3): non ergo simplex erit ens, immutabile, vereque infinitum; sed ens potius *per aggregationem*, ut hic Bælius (4) animadvertit, cujus unaquæque pars erit finita.

(1) *Theolog. Dogmat. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.*7.

(2) Gassendus ibid. & Clarke loc. cit. *trois. repliq. n.*3. „ L'espace infini est l'immensitè &c. „ Et 4. *repliq.* „ L'espace, & la durèe ne son pas hors de Dieu: ce sont des suites immediates, & necessaires de son existence, sans les quelles il ne feroit point eternel, & present par tout „, Newtonus *Schol. gen. Philos. nat.* „ An non constat esse Deum ens incorporeum, omni præsens, quod in spatio infinito tamquam sensorio suo res ipsas intime cernat &c. „

(3) Sic omnium fert sententia: Vid. Bayle loc. cit. *Art. Zenon. de Elée Rem. F.*

(4) Ibi, & Gerdil *de l'immaterialitè de l'Ame par.* 8. *sect.*1. *pag.* 196. Etiam Lockius opinatus est, Deum, creatosque Spiritus mutuo se a loco excludere *Essai sur l'entend. hum. liv.* 2. *ch.* 27. §. 2.: pauca dabo, ut quam castigate, accurateque hic Metaphysicorum facile princeps a multis habitus, intelligatur. „ Quoique ces trois sortes de substances (Dieu, les intelligences finies, les corps) ne s' excluent pas l' une l'autre du même lieu, cependant nous ne pouvons nous empêcher de concevoir, que chacune d' elles doit nècessairement exclure du meme lieu toute autre qui est de la meme espece &c. „ Nonne terminorum inhærenti obviæ significationi suboriri posset suspicio, multos Lockio Deos, eosque corporeos videri, qui indiscriminatim non *speciem* dumtaxat enunciet de tribus illis substantiis; sed & locum, quo se *ejusdem speciei* individua pellant? Confirmabitur porro suspicio, si quæ de lo-

co

ta. Tantum ſcilicet aberit, ut ſimplex dici Deus ſic immenſus poſſit, ut contra dicendus eſſet tot compoſitus partibus, quot extant corpora: conſtat enim unius corporis ſpatium idem cum alterius corporis ſpatio non eſſe, adeoque unam immenſitatis partem in qua recipi corpora volunt, non eſſe alteram; qua ex re ſponte ſua ſequitur, extenſam, diviſibilem, compoſitam, imperfectiſſimamque Dei immenſitatem futuram, atque adeo naturam ipſius, quæ nequit ab attributis ejus ſejungi (1). Atqui cum abſurdiſſimum per ſe id eſt, Deoque injurioſiſſimum; tum, ut ſcribit Arnaldus (2), Theologorum omnium conſenſioni opponitur, ***qui S. Thomam ſequuti neceſſariam docuerunt eſſe Divinæ ſimplicitatis conſecutionem, ne ſit Deus extenſus***; quod & alibi nervoſe efficit (3), quamque multis ſcateat abſurdis demonſtrat illorum commentum, qui Dei immenſitatem per extenſionem in infinitis ſpatiis explicare ſibi ſumunt. De qua re ne ſimus longiores, doctiſſimum Præſulem Gerdil legendum proponimus, qui (4) ex eodem S. Doctore & invicte refellit adverſarios noſtros, & qua

eo ibid. habet *cap.* 13. §. 7. quis legerit, & huc tranſtulerit. Sed aliorum eſto hæc diligentius animadvertere; nobis neceſſaria rei brevitate preſſis, ſunt ea dimittenda.

(1) Quamvis enim Clarkius ibi 3. *repliq. num.* 3. neget, immenſitatem eſſe Deum „ L'im„ menſitè n'eſt pas Dieu „: facile quiſque intelliget, non poſſe hæc cum idea entis ſimpliciſſimi, cujuſmodi Deus eſt, omnique compoſitione carentis, componi. Conſulatur S. Thomas 1. *con. Gen. cap.* 22. *ſeqq.*, & Petavius *Theolog. Dog. lib.*2. *a cap.*1. *uſq. ad* 8.; tum *lib.*3. *cap.* 7. *ſeqq.* ubi de immenſitate Divina præclare agit, atque ex Patrum, veterum Philoſophorum, S. Thomæ doctrina explicat, qua ratione Deus ubique ſit abſque ſimplicitatis ſuæ detrimento. Qui ſi Clarkium ſecum luctantem committere velimus, nihil nobis eſſet facilius, ubi ea, quæ de exiſtentia Dei *cap.*8. ſcripſit, ipſi objecerimus.

(2) *Defenſe contre la reponſe au livre des vraies, & fauſſes idèes*; atque *Refutation d' un nouveau ſyſteme de metaphyſique &c. par.* 1.

(3) *Lettres* 8; *&* 9. *au Pere Malebranche*.

(4) *De l' immortalitè de l' Ame* 4. *par. pag.*93.

& qua ratione Deus ubique immenſitate ſua eſſe dicatur, egregie explicat.

Atque Newtonus, Clarkius, aliique cum ſpatium hoc Dei velint eſſe immenſitatem, Deique ſenſorium, omnia dimenſionibus ſuis corpora complectens; compellendi a nobis ſunt ut ediſſerant, compenetrentur nec ne ſpatii, corporumque dimenſiones. Si affirment; non modo id affirmabunt, quod ratio rejicit, & implicat pugnam; verum multo potiori jure illis opponi tunc poterit, futurum omnino, ut Mundus ſit veluti animal Divinum, aut anima mundi: ſi negent, ſed dimenſiones ſpatii dimenſionibus corporum cedant; tum quidem varias ſuſcipiet Dei immenſitas figuras, & diviſiones; tum aliquando pelletur, interdum amplificabitur, modo comprimetur; eruntque multa in quibus non ſit Deus, nimirum ubicumque corpora ſint, ibi Deus non erit (1). *Cernere Deum in ſpatio veluti in ſenſorio ſuo* volunt quæcumque eveniant: quod eſt; ut agunt res ſenſibiles per ſuas imagines *in ſenſorium animalium* (2) *per nervos ad cerebrum delatas*; ſic & res quæque in Dei agent ſenſorium, & immenſitatem. Jam quomodo hæc poſſit non eſſe corporea, ſenſibilis, paſſiva; Deique de rebus cognitio quomodo imperfectiſſima futura non ſit, a rebuſque dependens; quomodo tandem dici Deus ens ſimpliciſſimum poſſit, plane non intelligo (3).

XXII. At quid tandem erit hoc ſpatium, inquiunt, quod velit, nolit quis, ſemper tamen ejus obverſatur menti,

(1) Ac jure quidem turpiſſimum Leibnitio viſum eſt loc. cit.; ut corpora „ ils ſe promenent dans „ les parties de l' Eſſence Divi„ ne „ &c.

(2) Newtonus enim *Opticæ quæſt.* 20. hoc ſumpto animalium exemplo, pergit ad Dei conſtituendum ſenſorium *in quo res intime cernat, penituſque perſpiciat &c.*

(3) Nec vere quidquam ſolidi reſpondere Clarkius potuit Leibnitii difficultatibus; remque eſſe undique ſcatentem abſurdis, Bælius, & Gerdilius locis cit.; atque Monilia *tom. 2. contro i Materialiſti ſez. 1. & 2.* pluries animadvertерunt.

ti, nisi ipsa sit Dei immensitas, vel sensorium, aut aliquid, quod ab æterno fuerit? Menti ne obversari ais, an imaginationi? Atque huic quidem obversari ultro dabo; at quam turpe Philosopho sit, rationis neglectis momentis, imaginationem consulere, vel ipsi, quos hic refellimus, docent (1). Itaque ut omittam plures, sit loco omnium cl. Gerdil (2), qui graviter id in Philosopho reprehendit. Menti vero recte ratiocinanti nego prorsus sic obversari spatium quasi vera affectum extensione, multo vero minus ut æternum, infinitumque a se, vel Dei sensorium. Nihil concipere mens ut extensum potest, quod vel corpus non sit, vel corporeæ substantiæ affectio: at neutrum esse spatium mens perspicue, certo, invicteque cognoscit; non igitur vera illud extensione præditum, sed imaginaria, & ficta cognoscit. Rursus mens ipsa damnat, & rejicit ut spiritualis substantia, Deique esse attributum dicatur: quid igitur restat, quam, ut imaginatione semota, rationem audiamus decernentem, nihil omnino esse merum spatium (3)? Sed aliorum est in hanc

(1) Maxime Clarkius de existentia Dei frequenter.

(2) Loc. cit. *par.* 4. *pag.* 84. „ „ Les Philosophes ne doivent jamais prendre l' imagination „ pour guide; mais selon les idèes „ les plus claires de l' Esprit pur, „ & selon l'experience „ &c. Qua de re S.Thomas 1. *p. qu.*45. *art.*2. multos animadvertit deceptos fuisse Philosophos, ac in turpes prolapsos errores eo quod non rationem, sed imaginationem consuluerint: atque 1.2. *quæst.*17. *art.*7. rationem reddens, quamobrem pertingere imaginatio ad multa non possit, inquit „ quod homo non „ possit imaginari, quæ ratio considerat, contingit vel ex hoc, „ quod non sunt imaginabilia, sicut incorporea; vel propter debilitatem virtutis &c. „ Damnaverant vero jam Plotinus *Enneade* 3. *seqq.*, atque Alcinous *cap.*10. *de Doctrina Platonis* hanc hominum proclivitatem, qua, in iis, quæ sola contueri mente possunt, imaginatione utuntur.

(3) Ita quidem consequens esse videtur ex accurata, ut ajebamus, divisione entis in substantiam, & accidens, quorum neutrum spatium esse vidimus. Sane animadverto amplificari, vel imminui spatium per solam extremorum vel elongationem, vel approximationem,

hanc pugnam descendere; egimus nos quod nostrum postulabat munus, ut improbis eriperemus Philosophis id, quod imprudenter, absurdeque confictum, si dissimularetur, magno eis adjumento esse posset; neque præterea opus est, ut alio delabamur.

L §. VI.

tionem, nihil vel addito, vel detracto, quod imaginatam illam spatii extensionem, confictamque ejus naturam afficiat: atque si animo concipiam unicum existere corpus; nullam tunc expansionem hujusmodi enasci intelligo, quousque fines aliquos (id quod facillime ex consuetudine evenit) imaginatio mihi non exhibeat, inter quos relationem concipiam aliquam majoris, minorisve distantiæ, ex majori, minorive extremorum approximatione consurgentis. Hanc vero distantiam, etsi voce affirmativa indicatam, nihil tamen esse aliud posse, perspicue mente percipio, quam non repugnantiam, ut mediis illis extremis tantum ponatur corporis, quantum fuerit sublatum, si extabat; vel nullo prius extante, non repugnabat, ut tantum poneretur, quanto minus contigua fuerint ambientia corpora. Neque vero, quod mensurari distantia, & imaginata illa possit extensio, idcirco sequetur, eam reale quid esse; nam & totam illam enasci distantiam negativam constat a diversa extremorum positione; & nemo ignorat etiam umbram mensurari, non prout est lucis privatio, sed ex ipsis lucis terminis: id quod & de quiete, quæ privatio motus, aliisque privationibus dicendum facile intelligitur. Jam itaque concludam cum Cl. Gerdilio loc. cit. 4. *part. pag.* 109. ,, L' idèe de ce ,, pretendu espace, n' est autre ,, qu' une idèe abstraite de l' eten- ,, due,, Vid. etiam *Eclairciffement sur le mouvement relatif., & l'espace pur, pag.*239. ibid. Et *Recueil de dissertation, dis.*4. *pag.* 203. ,, L'e- ,, space n' est qu' un phantôme ,, de l' imagination, qui s' eva- ,, noit des qu' on contemple des ,, yeux de l' esprit les propriétés ,, renfermées dans l' idèe de l' é- ,, tendue ,, & *pag.* 226. ,, Il faut ,, faire attention que dans le fysteme de Descartes, aussi bien que ,, dans celui d'Aristote, de Leib- ,, nitz, de Wolf, l'idèe de l'espa- , ce n' est qu' une idèe abstraite ,, &c. Qui plura velit, adeat Moniliam *tom.* 2. *contro i Materialisti par.*3. *sez.* 1.; *Lettres sur les vrais principes de la Religion. letr.* 3.; Leibnitium loc.cit.; Israel Canzium *Philosoph. Leibnit.* &c. *usus in Thelogia cap.*1. *sect.*5.§.280.; Ludovicum Thummiggium *Instit. Ontol. cap.* 3. §.50.; atque Collegam meum P.Aloysium Schettini *Elem.phys.tom.*1. *diss.*4. *sect.* 1. §.213. *sqq.*

§. V I.

Conveniat ne, aut convenire possit materiæ cogitatio, an vero repugnet?

XXIII. Recte illud, & congruenter est a Beausobrio (1) animadversum, eum, qui Dei existentiam neget, tria hæc materiæ attribuere cogi; existentiam metaphysice necessariam; æternum, ac essentialiter necessarium motum; denique cogitandi vim, & facultatem. Itaque veteres Atheos videmus, Leucippum, Democritum, Epicurum, Anaximandrum, Protagoram a Cudworto, a Moshemio, a Poliniaco relatos (2), Hilozoitas ab eodem Cudworto, atque ab Clarkio (3), aliosque ab S. Thoma (4) commemoratos, partim mundum animantem, sapientemque fe-

(1) Histoire du Manich. &c. *liv.* 2. *chap.* 2. „ L' incredule est „ obligé, de reconnoitre dans la „ substance, qui compose l'univers „ ces trois attributs: 1. l' eternitè „ du mouvement; 2. la necessitè „ absolue, & metaphysique de l' existence, soit de la matiere, „ soit du mouvement; 3. l' identité de la substance pensante, „ & de la substance materielle „ &c. „

(2) Cudwort. *Syst.intellect. c.*2. §. XI. *sqq.*; & *cap.* 5. §. 8. ubi „ portentosum, vocat, hoc dogma, „ quod non alteri placere possit, „ quam homini insano, & ab „ omni ratione relicto .... cum „ quibus si velis ratione certare „ æque sapienter facias, ac si cum „ machina disputationem institu„ as „. Confer Moshemium in *cap.* 3. §. 31. *sqq.* Cudworti ejusdem. Poliniacus vero Epicurum, atque Lucretium compellans *lib.* 5. *ver.* 313. ait.

Quis probet hæc? Nihil a nihilo vis posse creari:
Et mentes tamen ipse creas: vis tanta modorum est?

Vid. Lucretium *lib.* 4. *ver.* 706.

(3) Cudwortus ibid. *cap.* 3. § 4. Clarkius autem *de l' existence de Dieu ch.*10. Adeas Cl.Moniliam *La mente umana* &c. *par.* 3. *tom.* 2. *sez.* 1.

(4) *In* 4. *metaph. lect.* 12.; & 1. *par. quæst.* 84. *art.* 2. Laertius vero

fecisse (1), partim cogitationem seu miscuisse sensibus (2), seu in idolis, hoc est imaginibus rerum, collocasse (3). Quos in inficianda Dei existentia sequuti quum sint Athei recentiores Spinoza, Hobbesius, Helvetius, atque ex eodem Pseudo-philosophorum grege alii (4) tam multi, quos longum esset nominatim persequi; sequuti adeo sunt etiam in cogitatione materiæ tribuenda. Quamquam hi quidem videntur mihi non tam consecutione, colligationeque sententiarum huc esse deducti, (nihil enim esse, quod curent hi minus, quam seriem, nexumque rerum (5), & in sententiarum delectu constantiam, docti omnes norunt, qui eorum pervolverint opera) quam cupiditate permoti eo, veluti impetu quodam irrupisse, ut si materia cogitare posse putaretur, impietatis conscientiæ perfugium, & a futurarum poenarum metu miserabilem levationem in humani animi mortalitate cum aliqua rationis specie statuisse viderentur (6).

L 2 Leib-

vero *lib.*9. *seg.* 44.; Plutarchus *De placitis Philos. lib.* 4. *cap.* 15; Vossius *De origine, & progressu Idololat. lib.* 3. *cap.* 41. Stratonem, & Aenesidemum adjungi illis posse scribunt.

(1) Legatur Cic. *lib.* 1. *de nat. Deor.*

(2) De quibus S.Thomas, Cudwortus, atque Vossius locis citatis.

(3) Lucretius *lib.*4. *ver.*706.

Nunc age, quæ moveant animum res, accipe paucis.

Principio hoc dico rerum simulacra vagari &c.

Vid. Laert. *lib.*9. *seg.* 49.

(4) *Epitres Philosophiq.*; *& Judaiq.*; *Philos. du bon sen*; *Discours sur la vie heureuse*; *& sur l'inegalité des hommes*, aliæque hujus generis pestes.

(5) Bene ad hanc rem animadvertit Mr. L'Abbè François *Observations sur la Philosophie de l' histoire tom.*2. *pag.* 17. „ Le parti est „ extravagant; mais un coeur vi„ cieux ne raisonne pas „.

(6) Efficit hoc adversus Voltæreum Auctor Epistolarum *sur la nature de notre Ame*, *Lettre* 2.; jamque Cudwortus eamdem reddiderat rationem, quamobrem adeo multi hoc fuerint amplexi portentum „ nimirum veriti, ait „ loc. cit. *cap.*5. §. 8, ne si darent „ aliud esse actionum genus a mo„ tu diversum, illud etiam conce„ dere cogerentur, esse alias, præ„ ter corpora, naturas vere subsi„ stentes.... Illud autem place„ re nulli potest, nisi Atheo cum „ ra-

Leibnitium (1) vero, & Lockium (2), quos non eo impellebat impietas; tamen in ejus prope sententiæ consortium abiisse, vel certe plurimum ceteris profuisse, homines præsertim acutos, mirabile sane videri debet. Nos vero controversiam hanc totam, quæ quidem ad Atheismum aut confirmandum, aut refellendum magni imprimis momenti (3) est, in iis capitibus duobus constituemus, quibus eam, veluti conditionibus, Voltaereus (4) definivit; quorum illud est primum, repugnet ne materiæ cogitatio; alterum huic affine, & proximum, possit ne Deus vim cogitandi materiæ addere.

XXIV. Verum quum, ut sæpe Cicero præcipit, sit in disputatione quacumque a definitione exordiendum, ut quid illud

„ ratione insanienti, ac superstitioso simul, & phanatico „. Hinc Clarkius ut omnium Atheistarum conatus huc referri indicaret, vocat ibid. *ch.*9., „ le grand fort „ de l'Atheisme „ Merito proinde doctus Abbadie *de la Religion* &c. *sect.* 1. *chap.* 6. miratur „. Je me „ suis mille fois ètonnè qu' il y ait „ un si grand nombre d' incredu„ les, qui reconnoissans l' existen„ ce de Dieu, ne laissent pas de „ nier l' immortalitè de l' Ame; „ puis qu' il n' y a rien de plus „ inseparable que ces deux princi„ pes „ &c. Vehementer optamus ut legantur cetera, quæ octo animadversionibus sunt eo diligentissime comprehensa, quibus, si Deus sit, repugnare cogitationem materiæ ostendit; quæ si non repugnet, nihil superesse amplius, quo Dei confirmetur existentia.

(1) Neminem latet Leibnitii opinio de monadibus perceptione præditis, quæ etsi inextensæ per eum sint, cum tamen ex eis coalescere corpora velit, corpora etiam perceptione donata esse, consequens erit. Consulatur Mr. L'Abbè de Condillac *traitè des Systèmes chap.*8. eum data opera refutans.

(2) *Essai sur l'entendem.* &c. *liv.* 4. *chap.* 3. §. 6. *sqq.*

(3) Quamquam Voltæreus *Epitre Philos.* 13. rem hanc minime ad Religionem pertinere scribat „. Il „ ne s' agissoit point de Religion „ dans cette effaire &c. „ Ipse tamen Bælius in *Diction. Art. Rorarius Rem. E.* fluere inde posse scribit „ des consèquences horribles „ de quelque còtè que l'on se tour„ ne „.

(4) Ibid. „ Il ne falloit qu'exa„ minèr sans aigreur s' il y a con„ tradiction à dire, la matiere „ peut penser, & si Dieu peut „ communiquer la pensèe à la ma„ tiere „.

illud ſit, de quo agitur, utrinque recipiatur; id nos ab ipſis inquirimus adverſariis, ut, quid ſit materia, ediſſerant. Nam Spinozam, Hobbeſium, Helvetium, Mirabeaum, alioſque extenſionem, diviſibilitatem, figuram in ea agnoſcere animadvertimus, ipſique explicate ſcribunt (1): Lockius item paſſim (2), præſertim ubi de exiſtentia Dei agit, eſſentialiter materiæ ineſse contendit inertiam, impenetrabilitatem, extenſionem, atque figuram; adeo ut quantumvis obſcuram nobis eſse exaggerent illius naturam, hæc tamen nobis eſse comperta ultro concedunt. Qua de re cum, quod præcipit ratio, ac animadvertit S. Thomas (3), ex eo quod aliqua in re manifeſtum eſt, de eo ſit ferendum judicium, quod ſit occultum; perſpectis nobis eſſentialibus (ut hi quidem volunt) hujuſmodi materiæ proprietatibus, jure concludemus ex Philoſophorum eorumdem conſenſione (4), eam eſſe mate-

(1) Spinoza *Ethic. par.2. def.1. ſqq.*; Hobbeſius *Logic. par.1. c.2.* Legatur Buddeus *de Atheiſmo cap. 1.* §. 26.

(2) Ibid. *chap.* 10. §. 10. *ſqq.*: libro autem 2. *cap.* 8. §. 9. eas materiæ affectiones vocat „ qualitéz inſeparables, originales, & primiers „ Confer etiam *cap.* 23. §. 22. *ſqq.*

(3) *Lib.* 1. *de Anima lect.* 3. „ Quando invenimus aliqua duo differre ſecundum aliquod manifeſtum, & ſecundum aliud immanifeſtum, certum eſt, quod per id, quod eſt manifeſtum, venimus in notitiam illius, quod eſt immanifeſtum. Et hunc modum tenuerunt Philoſophi ad inveniendam naturam de Anima „. Sane lateant quidem in triangulo, pentagono, chyliagono quantæcumque volueris proprietates; obſcura rurſus ſit lucis E. C., aeris, ſaxi, ligni natura; ideo ne non certo conſtabit repugnare illis circuli proprietates; illis autem viſum, olfactum, greſſum, ceteraſque vitæ operationes? Faciet quidem rei obſcuritas, ne perſpicuam habeam ideam ejus, quod in ſe ſit; quid vero non ſit, nec poſſit eſſe, numquam faciet ut ignorem, ubi quædam ejuſdem certo mihi conſtent eſſentiales proprietates.

(4) Carteſii, Gaſſendi, Newtonis, eorumque diſcipulorum conſtat quæ ſit ſententia: Vid. Georg. Cheyne *Princ. Philoſ. cap.* 3. & 4. Quæ autem fuerit Platonis, Ariſtotelis, Anaxagoræ, Empedoclis de re eadem opinio, tradit S. Thomas, 1. *phyſic.*, atque Bruckerus *hiſt. philoſ. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7.

teriam, quæ essentialiter sit extensione, divisibilitate, figuraque prædita.

Jamvero quæcumque lateant in ejusdem essentia proprietates aliæ, quum hæ nequeant nisi ab eadem ipsa oriri essentia, a qua ceteræ mox memoratæ; pugnet vero ab una eademque essentia contraria enasci essentialia attributa mutuo se excludentia, quæ contra *identificari* cum illa deberent, ut Bælius ipse scribit (1); excludunt vero mutuo se extensi, & non extensi ratio, divisibilis, ac indivisibilis; consequens igitur plane erit, aut extensam, divisibilemque esse cogitationem; aut si inextensa, indivisibilisque sit, non posse materiæ inesse, certissimeque ipsi repugnare. Atqui hoc est, in quo hæc *non philosophandi philosophia* deridendam, contemptibilemque se præbet, quod extensa, divisibilisque ei sit dicenda cogitatio.

Consistit enim cogitatio in plurium idearum comparatione (2), earumque animadversione (3), aut *reflexione*. Attende jam quam bene materia, hoc est res extensa, possit illas recipere, ac mutuo conferre. Recipiet scilicet ideas, quæ erunt motiones corporum, vel imagines (4); extensoque modo

(1) In *Diction. Art. Spinoza Rem.M.* „ L'alliage de la pensèe, „ & de l'etendue doit etre un *iden-* „ *titè* .... Il ne s' agit point ici „ d' une alliage comme celui des „ metaux: cela ne demande que „ la *juxta - position* „.

(2) Cic. *Lib.1. de Offic.* „ cogitatio in vero exquirendo maxime versatur „ Arnald *Refutation d' un nouveau systeme &c.* „ *chap.* 5. *n.* 5. „ Qui dit pensèe, „ dit connoissance, qui renferme reflexion „ Adeas Cartesium 1. *p. princ. num.* 9., & Condillac *des orig. des connois. humain. t.* 1. §. 6. sqq.

(3) Totus est Lockius loc. cit. *liv.* 1. *chap.* 1. §. 5. sqq., ut innatas refutans ideas mentis, deposcat considerationem in illas. Vid. rursus Condillac *Traitè des sensations* 2. *part. ch.* 10. *& pag.* 487. *in nota, edit.* 1769. *Paris.*

(4) Per actionem scilicet, reactionemque explicari totum id posse, volunt Hobbesius *Leviath. cap.* 1 Fictus Mirabeaus, aliique. Legatur Cl. Valsecchi *La Religion vincitrice cap.* 1. Ac materiam, quidem, non recipere aliquam formam de novo, nisi per motum, „ vel mutationem „ S. Thomæ exploratum est 2. *con. Gen. cap.* 50: & nemo dubitare potest.

modo recipiet tum ratione sui, tum ratione objecti extensi; adeoque ubi una sit hujusmodi idea, esse simul non poterit altera, cum sit cuique exploratum quod Plotinus (1) scripsit „ in omni magnitudine, seu extensione, hoc quidem „ unum est, illud alterum „; tum præterea ubi pars una ejusdem ideæ sit, alteram simul esse pugnabit (2): qua ex re id unum (quod maximum esset) consequeretur, particulam materiæ quamlibet consciam quidem esse posse particulæ imaginis, vel actionis sibi in extensione respondentis, ceterarum vero prorsus non posse. Quomodo igitur vel totum unum quodvis cognoscet objectum, aut simul conferet multa, si nec plurium recipiet imagines, neque vel totam actionem, aut imaginem unius? Atqui „ oportet, ait S. Thomas (3), quod „ qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat „; nihil igitur cognoscet materia, nihilque poterit cogitare. Dicent ne in unum convenire indivisibile punctum motiones, imaginesqe illas, seque mutuo compenetrare? Oh quam multi duobus verbis errores! Extensum ne in non extenso recipietur, cum ipso judice Lockio, (4), Bælio, (5), aliisque utrumque repugnet, & extensum coalescere ex non extensis, ac recipi in non extenso; nullaque sit tenuis adeo pars materiæ, quæ præterea dividi non possit (6)? Ea ne compenetrari, quum ratio, universaque id damnet Philosophia; ipseque adeo Lockius veritatibus illis, quæ axiomata vocantur

(1) *Enneade* 4. *lib.* 7. *cap.* 6.

(2) S. Thomas ibid. sic ad rem nostram ratiocinatur „ diversas formas materia nonnisi secundum „ diversas partes recipere potest: „ quæ quidem diversitas partium „ in materia esse non potest, nisi „ secundum quod per dimensiones „ in materia existentes in plures „ dividitur &c. „ Legatur cap. præcedens, ubi multa habet eidem rei nostræ accommodatissima. Sed Lockius ipse inextensam esse cogitationem expresse tradit ibid. *lib.* 2. *c.* 9.

(3) 1. *p. q.* 78. *a.* 4. *ad* 2.

(4) loc. cit. *lib.* 4. *cap.* 10.

(5) Artic. *Zenon d'Elée* „ *Rem.* „ *G.* toute etendue, quelque petite qu'elle puisse etre, à un coté droit, & un coté gauche, un „ dessus, & un dessous.. Je „ puis nier du cotè droit ce que „ j'affirme du cotè gauche „ &c.

(6) *lib.* 2. *c.* 17. §. 12.

tur, illud de impenetrabilitate extenſionum accenſeat? (1).

XXV. Eſt illud præterea a Materialiſtis ſerio animadvertendum, non in ſola imaginum, & idearum receptione cogitationem verſari, & perfici; ſed maxime in cogitantis principii ſupra ſemetipſum, ſuamque cogitationem *reflexione*, qua cognoſcit ſe cognoſcere, intelligit ſe intelligere, deprehenditque in idearum conjunctione, aut ſeparatione ſive conformitatem, ſive diſſonantiam, fertque de iis judicium. Hoc adeo verum eſt, ac, ceteris miſſis, Bælio, Lockio, Rouſſojo adeo certum; ut niſi conſcia mens ſit cogitationum ſuarum, ne cogitationem quidem vocari eam velint (2). Atqui hæc in ſemetipſam, propriamque operationem *reflexio*, nec effici, explicarique poteſt actione, reactioneque illa materiæ; nec poteſt ſine pugna in materia intelligi, quæ, ut S. Thomas (3) demonſtrat, nequit ſimul eſſe agens, & patiens niſi ſecundum diverſas partes „ unde, inquit (4), nullus „ ſenſus ſeipſum cognoſcit, nec ſuam operationem; viſus „ enim non videt ſeipſum, nec videt ſe videre &c. „ nec alia quælibet corporea virtus poteſt in ſemetipſam agere, quemadmodum & recentiores, (5) eodem, quo S.Thomas, exemplo utentes, demonſtrant; *reflexio* igitur, vel quaſi reditus in ſemetipſam, in qua maxime cogitatio perficitur, non materiæ, ſed ſolius eſt Spiritus. Verſat hoc, illuſtratque per-

(1) Ibi. *cap.* 7. §. 5.

(2) Bælius, & Lockius locis citatis; atq. hic *cap.*1. §.19. „ Dire que le corps eſt etendue ſans „ avoir des parties, & qu' une „ choſe penſe ſans connoitre, & „ ſans appercevoir qu'elle penſe, „ ce ſont deux aſſertions ègalement inintelligibles „ Rouſſojus *Emile tom.* 3. *pag.*3. *edit.* 1765.

(3) *Phyſ. lib.*7. *ad text.* 1., & *lib.*8. *ad text.*40.; ac iterum Rouſſeojus ibid. „ La matiere n'ayant „ aucune force pour les replier „ l'un ſur l'autre, il ne les comparerà jamais, il ne les jugerà „ point. Voir deux objets à la „ fois, ce n'eſt pas voir leurs rapports, ni juger de leurs differences „.

(4) 2. *cont. Gent.*, *cap.* 66.

(5) Gaſſendus *lib.* 4. *cap.* 1. *de Anima rationali*; Lockius ibid. *lib.* 2. *cap.* 1., Lamy *de la connois. de ſoi mem. trat.* 2.*p.* 1. *Gerdil Recueil de diſſert. diſſert.* 1.

persæpe plane invicte S. Thomas, adeo ut obtinere a memetipso vix possim quin subirascar gloriosis quibusdam, nec satis diligentibus hominibus, præsertim Cartesio ita sibi plaudenti (1), quasi *nemo ante ipsum* sic cogitationis perpenderit naturam, ut constaret, solius esse intellectualis substantiæ ea gaudere facultate: in quo & Bælium (2) peccare, aliosque veterum Philosophorum contemptores Cartesio assentantes, video. Dicam paucis: si quid sit a Cartesio de hoc genere rerum dictum, quod non tanto ante S Thomas, ut plures alios, ipsumque Aristotelem (3) prætercam, innumerabilibus in locis (4) dilucidius, validius, ingeniosius tradiderit, fidem mihi negari omnem libenter patiar.

XXVI. Sed illuc redeamus, unde paullulum digressi, sumus atque Plotini argumentatione, Aristotelis (5) ratiocinationi affine, (quos quidem antecessisse Cartesium facile nobis gloriosi illi dabunt) rem confirmemus. Si vis, quæ percipit, inquit (6), in nobis extensa esset, partesque haberet extra partes,

M

(1) *Notæ in Progamma pag.* 178. *edit. Amstelodami* 1678.

(2) Incredibilis plane istius hominis confidentia! Pauca ejus dabo verba ex *Art. Simonide Rem. F.* „ Jusques a M. Des cartes, tous „ nos Docteurs, soit Theologiens, „ soit Philosophes, avoient donnè „ une etendue aux Esprits..... „ Les Cartesiens ont renversé tous „ ces dogmes „ &c. Quam multa eadem confidentia dicere pergat, legat qui voluerit. Reprehendit eum hac de causa Beausobre *Hist. de Manich. chap.* 2. §. 7., & ait „ je „ ne croi pas, que tous les Savans „ en conviennent „: Certe non.

(3) Vid. ipsius libri *de Anima*, & maxime primus, in quo ceterorum recitatis de anima opinionibus, qui parum discernebant eam a corpore, textu 46. eos refutat; nullamq. esse magnitudinem in anima posse ex ipsius evincit operationibus. Legatur S. Thomas ibi *lect.* 7.; & Cudwortus *Syst. intel. cap.* 1. §. 20.

(4) Præter mox memoratos, adeas 1. *p. q.* 3. 50., *sqq.*, 75. *usq. ad* 90.: 2. *con. Gent. cap.* 18. *sqq. lib.* 3. *cap.* 68. *sqq.*: *in Disputatis quæst. de Spiritualibus creaturis*; *quæst.* 22. *de veritate*; *& in lib. de Causis*.

(5) Ibi.

(6) *Ennead*; 4. *lib.* 6. Atque hunc egregium Auctorem vehementer optamus, ut recentiores Philoso-

tes, unum ex his tribus affirmandum illis esset, aut quamlibet ejus partem rei objectæ partem percipere; aut comprehendere totam; aut denique partes illius omnes in unum quoddam confluere-punctum, quod solum singulas, omnesque exhibitæ rei perciperet partes; quod autem reliqui in ea foret, nihil aliud, quam lineæ essent ad hoc unicum percipiens punctum tendentes. Si anima igitur magnitudo sit, dividetur simul cum re sensibili, ac una pars unam sentiet partem, aliaque aliam, sed nihil erit sentiens rem totam; non secus ac si ego rem hanc sentirem, tu illam. Sin quælibet pars totum sentiat; cum dividi magnitudo in infinitum queat, innumerabiles quoque sensus in unaquaque sentiente particula existent, ac versabuntur omnes circa idem sensibile. Si postremo unicum sit, & indivisibile punctum; quomodo tam multæ, distinctæque res concurrere in illud poterunt, ab eoque recipi? Sic ille, ac plane egregie. Nisi enim indivisibile, inextensum, simplex, expeditissimaque, & fere incredibili agendi virtute præditum sit cogitans principium, quod adeo multa in se recipit abstracta, sublimia, immaterialia, eaque confert, distinguit, conjungit; præterita revocat, futura prævidet, possibilia cognoscit: virtutum, atque vitiorum, legum, institutionum, & artium ideas habet, deque illis disputa-

losophi multi legant; nam certo intelligent, quam falso in plerisque novitatis glorientur. Eum quidem legisse oportebat, Bælium loc. cit., & *Art. Rorarius Rem. C*, ubi, quasi vel primi fuerint, vel soli sint Cartesiani, qui cogitationem denegent materiæ, ait: „Selon les „ Cartesiens toute matiere est in- „ capable de penser„. Etiam anonymus Auctor *Defence de Pascal* &c. hoc loco desipuit, qui *art.* 56. scribit. „ Le partage entre l'Esprit, & le „ corps par rapport aux proprie- „ tès, aux modifications, aux fon- „ ctions de ces deux substances, est „ assez nettement établi depuis De- „ scartes, pour débrouiller la con- „ fusion d'idèes, que Pascal repro- „ che à presque tous les anciens „ Philosophes, qui ont été Peu- „ ple sur cette materie &c.„ Consulat ergo paullisper Plotinum ibid. *cap.* 8. & sqq. ubi nisi *unicum*, *simplex*, *incorporeum*, *indissolubile* sit intelligendi principium, pugnare demonstrat, ut quidquam intelligat.

ſputat, inquirit, decernit: hujuſmodi, inquam, principium niſi unicum, ſimplex, indiviſibile ſit, repugnabit ei ſemper cogitandi facultas. Atque hoc, viro, ad omnes obſcurandas graviores veritates aptiſſimo, Bælio ſcilicet, adeo certum, invictumque viſum fuit; ut nihilo minus certum id eſſe ſcripſerit, quam ſint geometricæ veritates (1); eique liberrimi ingenii vir alter eſt aſſentitus Rouſſojus (2), ut multos prætereamus alios.

XXVII. His tamen minime acquieſcit Voltæreus, ſed opponere pergit (3) ignorare nos ſpiritus, atque corporis virtutem, agendique fines, quippe nobis ſit utriuſque incomperta ſubſtantia (4). Ignorat ſcilicet quanam ad *Henriadem* ſcri-

M 2

(1) Præter loca ex ejus Dictionario mox laudata, *tom. 1. oevr. diverſ. pag.* 110. „ On peut dire „ ſans hiperbole que c'eſt (ea ipſa „ de qua nos egimus) une demon- „ ſtration auſſi aſſurèe, que cel- „ le de Geometrie; & ſi tout le „ Monde n' en ſent pas l' eviden- „ ce, c' eſt a cauſe que l' on n'à „ point voulu s' elever au de là „ des notions confuſes d' une ima- „ gination groſſiere „ Habeant *Spiritus* noſtri, ut dici amant, *fortes* prolatam ab eo in ſe ſententiam, cujus non audebunt irridere auctoritatem.

(2) *Emile tom.3. p.65.* „ Quand „ un Philoſophe viendrà me dire, „ que les arbres penſent, & que „ les rochers penſent, il aura beau „ m' embaraſſer dans ſes argu- „ mens ſubtils, je ne puis voir en „ lui qu' un ſophiſte de mauvaiſe „ foi, qui aime mieux donner le „ ſentiment aux pierres, que d'ac- „ corder une ame à l' homme „ & ibi in nota „ Il me ſemble, que loin „ de dire, que les rochers penſent, „ la Philoſophie moderne a dè- „ couvert au contraire que les „ hommes ne penſent point „ Numquam verius ſcripſit, ſed & ſibi accommodanda hæc ſæpe, intelligat.

(3) *Remarques ſur le pensèes de Paſcal*. Quam vero, paucis interjectis, ſecum pro more pugnet, & facile eſt legenti deprehendere, & optime oſtendit paullo ante laudatus anonymus Auctor *lettre 1. ſur la nature de notre Ame pag.* 343. *tom.* 2. Adeas etiam Mr. L' Abbe François *obſervations ſur la Philoſophie de l'hiſtoire artic. Ame, Corps, Matiere s*

(4) Quam rurſus ſecum luctetur, modo obſcuram animæ naturam, modo Philoſophis omnibus manifeſtam ajendo; ſatis eſt, ut intelligatur, conferre quæ *tom.* 2. *Amuſe-*

ſcribendam cerebri ſui figura, textura, colore, atque motù fuerit opus; quamvis fortaſſe non ignoret horologii ſui partium conformationem. Quamquam de toties affectata hac materiæ ignoratione, nihil neceſſe eſt plura dicere: dicat tamen ipſe nobis unum, quod adhuc ignorata materiæ natura, cognoſci certo poterit, & quidem ipſe plane novit. Materia cogitabit ne prout motu prædita, an ut deſtituta illo? Materia porro motu carens quieſcit, hoc eſt omni caret actione, id quod non ſemel ipſe teſtatus eſt (1); non cogitabit igitur prout quieſcens, quia nihil ſic operatur. Cogitabit itaque prout motu affecta: ita quidem omnes materialiſtæ ſentiunt. At ego hic non id agam, ut ex recepta motus, cogitationiſque notione, nihil quod ſit utrique commune efficiam, idque totum, quod mota exhibet materia, totum, inquam, eo pertinere oſtendam, ut locum mutet, non ut ſillogiſmum conficiat. Quæram dumtaxat, velit ne cogitationem eſſe proximum, an remotum motus effectum? Proximum vero, ac immediatum motus effectum perſpicue, evidenterque novimus eo pertinere totum, ut partium diſpoſitionem, figuram, diviſionem, aut contiguitatem efficiat, quæ neceſſario partium extenſionem, impenetrabilitatem, ceteraſque adeo depoſcunt materiæ proprietates, ut, iis ſublatis, omnis ſimul auferatur motus idea, motuſque effectus: cogitationem vero ab extenſo elici ſubjecto non poſſe, quod, licet mutet locum, non idcirco inextenſum evadet, oſtenſum jam eſt. Sit igitur cogitatio

ſcmens litteraires pag. 179. ſcribit, cum iis, quæ habet *cap.* 6. *metaphyſiq. de Nevvton*. Præclara vero imprimis ſunt, quæ loco illo dicit, ſuſpicari nempe ſe „ avec bien „ d' apparence, qu'Archimede, & „ une taupe ſont de la meme Eſ- „ pece, quoique d' un genre dif- „ ferent &c. „. Salve recentiorum Philoſophorum Decus, cui genere differunt ea, quæ ſpecie conveniunt!

(1) Adeas *Metaphyſiq. de Nevvton*, *& Homelie ſur l'Atheiſme tom.* 6.. Lockius etiam eſſai &c. *lib.* 4. *c.* 10. §. 17. „ La matiere „ dans un parfait repos, n'eſt qu' „ une lourde maſſe privée de „ toute action „.

tio remotus dumtaxat, atque mediatus motionum effectus. Verum si effectus proximus totus sit positus in partium dispositione, locique mutatione; qua, quæso, ratione effluere ab eo alter poterit effectus, qui inextensus, qui indivisibilis, qui simplex tandem sit, & adeo multa complectatur, seque ad tam multa protendat? In motu itaque, motusque effectu, præter majorem, minoremve velocitatem, locique mutationem, partiumque diversum occursum, vel attritum, nihil invenias aliud, nihilque habebis omnino, quod sit cogitationi, cogitandique virtuti affine: nisi fortasse ratiocinandi aptam ideo velis rem, quia rotunda, cubica, vel hamata sit; vel quia circulari, recto, aut parabolico sit affecta motu; id quod adeo est ridiculum, ut incredibile merito visum fuerit (1), extitisse quosdam eo usque insanientes.

XXVIII. Et quoniam eo deducta res est, ut naturæ materiæ ignoratio nihil adversarios juvet, nam cogitatio, si quæ ei inesset, solo elici, explicarique motu posset; pergam inquirere, utrum motiones illæ cogitationem efficientes universalibus, constantissimisque motus legibus se se accommodent, an non? Si negent, explicent nobis discriminis causam, quamobrem eadem materia prout cogitans nulli subjiciatur motus legi (quod est fortuito, ac temere moveri), simul vero legibus illis constantissime inhæreat, quotiescumque movetur? Ecquis inde consequi certo non videat, materiam eamdem, quæ semper, per motum, cogitans

(1) Consulito Cudwort. *syst. intel. cap.* 5. §. 1., ubi Hobbesium imprimis exagitat; Dytton. *sez.* 4. *prop.* 2., M. L'Abbê François *traitè contre les Athées &c. tom.*1., Bælium *artic. Leucippe*. Legendus etiam Cicero *lib.* 1. *Tusc. quæst.* „ quid illa vis, ait, quæ tandem „ est, quæ investigat occulta, quæ „ inventio, atque excogitatio dicitur? Ex hac ne tibi terrena „ mortali natura, & caduca concreta videtur? .... His in naturis nihil inest, quod vim mentis, cogitationis habeat; quod „ & præterita teneat, & futura „ prævideat &c. „

gitans esset, temere simul, ordinateque moveri, quum movetur? Quæ si compertis inhæreat motus legibus, aliud eis explicandum erit; quomodo scilicet „ perseveret in statu „ suo quiescendi, vel movendi uniformiter in directum &c.„: quomodo „ semper proportionalis sit (cogitandi) motus „ vi motrici impressæ, & sit semper secundum lineam re- „ ctam, qua vis illa imprimitur „: quomodo „ actioni sem- „ per contraria, & æqualis sit reactio, & in partes contra- „ rias dirigantur „? Sunt nimirum hæ communes, constantesque motus leges (1): explicent igitur primam illam in corpore per motum cogitante, dum momento ab una transvolat ad aliam cognitionem, atque unico intuitu, quod facit mens, ima, sublimia, propinqua, remota, præsentia, præterita, concreta, abstracta conjungit, aut separat. Ita ne *uniformiter in directum movetur*? Undenam tam multæ de rebus iisdem opiniones, tam diversæ, tam obscuræ, tam sæpe etiam falsæ, si *proportionalis sit cogitandi motus vi motrici impressæ*? Quæ vires istæ motrices a præteritis, futuris, abstractis, possibilibus, chimæricis etiam rebus profluentes, quas tamen mens cogitat? Quid, quod immutabilibus hujusmodi existentibus legibus, nulli ego vel rerum, vel temporum, locorum, distantiarum legi alligatum me sentiam? Quid, cum motus loci mutationem necessario præseferat, sæpe numero ego in ejusdem rei meditatione quiescam? Quid tandem, quod sensibilis in me objecti facto appulsu, reque delectabili proposita, vincam rationis lumine virtutis pulchritudine permotæ illecebras sensuum, corporisque oblectamenta, ac sævissimos etiam cruciatus? Nonne alia ab corpore hæc erit substantia, nonne simplex, spiritualis, ac libera, quæ boni intelligibilis spe erecta, præsentia negligit sensibilia bona, perfert gravissima mala, non

(1) Has communiter recentiores tradunt motus leges; nec minus tradiderat perspicue S.Thomas 4. *Physic. lect. 12.*, & *lib. 8. lect. 18.*

non ut ſenſibilem ſibi comparet felicitatem, hoc eſt, ejus generis, qua ſola materialiſtæ commoventur, ſed ſpiritualem, & incorruptibilem? Quamquam piget jam cum inſanientibus deſipere.

XXIX. Unum ſupereſt ut inquiram, quod eſt totius diſputationis veluti baſis, undenam fuerit motus iſte cogitationem in materia efficiens profectus? Ab ipſa ne materia? At repugnare hoc jam oſtendimus (1). Num ab alia cauſa? Quænam iſthæc erit; creata, an increata? Prima, & creatorem diverſæ plane a materia naturæ oſtendit, quem materialiſtæ deteſtantur; & rurſus in eandem recideret materiam, cum præter eam, nihil adverſarii recipiant aliud: atqui repugnare materiæ, ut motum ſua ipſa natura habeat, adeo invicte effecimus, ut nihil afferri contra poſſit, quod non prorſus futile ſit. Erit igitur increata. At hanc nos increatam, omniſque motus primam cauſam, hæc ipſa, inquam, ea eſt cauſa, quam Deum vocamus. Exiſtet igitur Deus, ipſis neceſſario fatentibus materialiſtis, quod tamen nollent.

Verùm quoniam ad eam accedit partem diſputatio hæc noſtra, quæ erat ſecundo nobis ex loco Voltærei monitis ad perpendendum propoſita, & ad quam tota refertur hac in re Lockii dubitatio; poſtulat res ipſa, ut unum imprimis ratum, certumque habeamus.

XXX. Nimirum Deum, etſi infinita præditum potentia, contradictoria tamen, quæque implicent pugnam facere non poſſe, aut potius, non poſſe ea fieri (2), adeo omnibus, paucis exceptis (3), explorata res eſt, ut demonſtra-

(1) Confer etiam Lockium loc. cit. *lib.* 4. *cap.* 10.

(2) Sic loquendum eſſe docet S. Thomas 1. *p. q.* 25. *a.* 3.

(3) Excipiendus maxime Carteſius eſt, qui graviſſime in hoc deſipuit. Legantur *Reſponſiones ad objectiones ſextas meditationum n.* 6. *&* 8., *atque epiſt.* 90. *tom.* 1., *&* 6. *tom.* 2. Vapulat invicte à Cudworto ibid. §. 21. qui in ſuſpicionem eum vocat invidioſæ in Dei exiſten-

ſtratione vix indigeat : Nam præter certiſſimum veritatum omnium interitum , ſcientiarumque ſubverſionem omnino conſecuturam , ſi liberum Deo fuiſſe ſtatuatur, rerum eſſentias , veritateſque , quas ob intrinſecam prædicati cum ſubjecto connexionem , æternas vocamus , pro arbitrio determinare , eaſdemque adeo rurſus mutare poſſe ; nulla ſupereſſet omnino intrinſeca actionum honeſtas , aut turpitudo, naturalis lex nulla immutabilis: id quod etſi Carteſius non neget (1) , deteſtati tamen omnes fuerunt in Spinoſa (2) , Hobbeſio (3) , Puffendorfio (4) , Thomaſio (5) , Helvetio (6) , aliiſque hujuſmodi flagitiis . Sane vero , cum potentiæ cujuſcumque actu operantis terminus nequeat eſſe nihil, atque ea, quæ contradictionem involvunt, nihil, & *non entia* ſint, (nihil enim eorum ſunt, quæ enunciantur ubi mutuo ſe partes deſtruunt, negante una , quod affirmat altera , & contra hac affirmante ſimul , quod negatur ab altera) ; adeo ſcilicet perſpicuum erit, effici hæc non poſſe, ac ſit perſpicuum , quod nihil ſit , nullam habere poſſe

ſtentiam proditionis ; a Moshemio etiam ibid.,qui cum erudite refellit ; Bælio, qui totius *Metaphyſicæ interitum* vocat eam opinionem *Ar. Spinoza Rem. M.*; Buddeo *de Atheiſmo cap.* 1. §. 25.; Clarkio *de l'exiſt. de Dieu cap.* XI., aliiſque, quos omitto . Sed novum ſit Voltærei conſtantiæ argumentum „ . „ Tout triangle à neceſſairement , „ & toujours trois angles indepen. „ damment de Dieu„ *Tom.6.pag. 46. edit.*1748. Paullo vero poſt palmam Lockio tribuit eo „ quod „ paroit le ſeul,qui ait otè la con- „ tradiction entre la matiere , & „ la pensèe en recourant tout d'un „ coups au Createur &c. „ Quaſi, quod effici in triangulo nequit vel ab ipſo Deo, effici hoc loco poſſit , etſi contradictionem utrumque involvat .

(1) Loc. cit. *num. 6.*

(2) *Tract. Theol. polit. cap.* 16., & alibi ſæpe .

(3) *De Cive cap.* 1.

(4) Lib. 2. *de jure nat.* , *& Gent.*

(5) *Lib.* 1. *de norma actuum humanorum* .

(6) *L'eſprit chap.* 23. De ceteris conſulantur Cudwortus *Opuſc. de juſti , & honeſti natura , in tom.* 2. *ſyſt. intel.* ; Joan. Franc. Finetti *De principiis juris naturæ , & Gent.* P. M. Thomas Cerbonius *De jure , & legum Diſciplina*

r

posse causam (1). Itaque ut Divina accedente virtute, quæ ipse est essentialiter actus, cogitaret materia, horum alterutrum esset ei faciendum, Lockio ipso auctore (2); aut nova scilicet materiæ partium extensio, cohæsio, figura, divisio, vel motus elargiendus, ex quibus oriretur cogitatio; aut nova cogitandi facultas ei adjungenda, quæ prorsus sit a materiæ proprietatibus diversa. Primum in id recidit, quod refutavimus, quodque multoties rejicit Lockius ipse (3): quæcumque nimirum sit partium dispositio, nihil, præter novam loci mutationem, figuram, cohæsionem, aliosque materiales hujusmodi effectus posse enasci, manifeste intelligimus (4): negat autem Lockius ex materiæ partium dispositione quacumque oriri cogitationem posse, negatque vim hanc in ea latere; lateret vero reipsa vis hæc in materia, si, ut eam emitteret, sola indigeret diversa partium modificatione (quemadmodum inest semini vege-

N tan-

(1) Hæc paullulum subtiliora S. Thomas multis in locis sic explicat, ut nihil desiderari possit amplius. Ac *lib. 2. cont. Gent. c. 25.* „ quia, ait, potentiæ activæ objectum, & effectus est ens factum, nulla autem potentia operationem habet, ubi deficit ratio „ sui objecti, sicut visus non videt, deficiente visibili in actu; „ oportet quod Deus dicatur non „ posse quidquid est contra rationem entis inquantum est ens, „ vel facti entis, in quantum est „ factum.... Tollitur autem ratio entis per suum oppositum; „ oppositum autem entis est non „ ens. Hoc igitur Deus non „ potest, ut faciat simul unum, „ & idem esse, & non esse, quod „ est contradictoria esse simul „. Legantur etiam, si placeat; *1. p. q. 25. a. 3.*: *1. de potent. a. 4.*: *1. cont. Gent. cap. 84.*

(2) Loc. cit. *lib. 4. cap. 3. §. 6.*

(3) Ibid. *ch. 10. §. 16.* „ Des parties „ de matiere, qui ne pensent point.... „ elles ne peuvent acquerir qu' „ une nouvelle rélation locale, qui „ consiste dans une nouvelle position de ces différentes parties; „ & il n' est possible, que cela seul „ puisse leur communiquer la pensée, & la connoissance „.

(4) Docet id constanter Lockius ibid. *Liv. 2. ch. 8. §. 9.* „ Les qualités qui sont entiérement inséparables du corps en quelque „ état qu' il soit .... sont l'etendue, la solidité, une certaine „ figure, & la mobilité .... & si „ vous le divisez jusqu' à ce que „ ces parties deviennent insensibles, toutes ces qualités resteront „ &c.

tandi virtus, etsi multis indigeat, ut illam exerat, latetque virtute rotunditas in cubica ceræ figura); negare igitur etiam debet, quamquam Divina virtus in nova materiæ partium structura, dispositioneque tota versetur, fore numquam, ut cogitandi virtus possit inde enasci.

Restat itaque pars altera. At vero nova isthæc facultas materiæ adjungenda vel substantia erit, vel accidens (agnoscit id Lokius (1), & agnoscunt omnes): porro hoc accidens materiæ adjunctum, non aliter inhærere ipsi poterit, nisi ratione ei accommodata, juxta vulgatum illud, *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur* (2); adeoque non cogitabit, nisi prout extensum, ac divisibile, siquidem receptum in subjecto extenso, ac divisibili, eique inhærens: hoc vero repugnare ostensum jam est. Velim præterea ne Lockio mente excidant quæ ipse tradit (3): quidquid advenire materiæ dicatur, præter inseparabiles ejusdem communes proprietates, id nihil esse aliud posse, quam *accidentia Peripatetica*, quæ ei sunt *chymæra, ac vacui omni significatione sonus*. Ergo, ipso judice, cogitans illud accidens, si quod fingi posset, chymæra, hoc est nihil esset. Qui si facultatem illam velit esse substantiam, quæ sola Dei creatione effici posset (4), una etiam velit necesse est, non ejus-

(1) Ibid. *chap.* 23. §. 2. *sqq.*; & *chap.* 27. §. 2. „ toutes les autres „ choses n' étant apres les substances, que des modes, ou des „ relations, qui se terminent aux „ substances „.

(2) S. Thomas *Quæst. Disp. de Anima art.* XI. quomodo ad rem nostram id intelligendum veniat, explicat.

(3) *Lib.* 2. *cap.* 31. §. 6. Legatur Cl. Gerdil. *L' immaterialitè de l' Ame* 2. *par. sect.* 1., *&* *par.* 6. *sect.* Lockium ex ipso Lockio egregie confundens.

(4) Recipit id Lockius ibid. *cap.* 26. §. 2.; *Et lib.* 4. *cap.* 10. §. 15. „ S' ils disent (Athei, quos „ refutat) que la pensèe se fait „ de quelque autre maniere, qui „ est au dessus de notre conce„ ption, il faut toujours que ce „ soit par voie de crèation; & „ parla ils sont obligès de renon„ cer à leur grande maxime, *rien* „ *ne se fait de rien* „ Auferre hic Lockius videtur inane sui ipsius, & materialistarum effugium, quod in materiæ essentiæ ignoratione versatur.

ejusdem cum materia naturæ esse, ne continuo redeant priora absurda: erit igitur substantia inextensa, indivisibilis, simplex, ratiocinandique capax; ipsa videlicet erit anima rationalis (1):

XXXI. Turpiter jam Lockium errare constat, quum æque facile Deo futurum ait (2) sive substantiam ratione præditam materiæ conjungere, ut animam rationalem corpori; sive materiæ inserere cogitandi facultatem. Substantiæ enim illi nihil repugnat, quin cogitet, nullamque aliam habet a corpore dependentiam, quamdiu ei physice fuerit conjuncta ut forma (3), quam ut ab instrumento, ac veluti ministro imagines rerum ei exhibente; quibus acceptis, tam multa agit mens circa illa, abstrahendo (4), inquirendo; judi-

(1) In tanti momenti re festinanter a nobis tractanda vehementer optamus, ut legantur P. Monilia *La mente umana .... non materia pensante*; Cudwortus, Valsecchi, Bergier; & *Elemens de Metaphysique .... ou Lettres a un Materialiste sur la nature de l'Ame. A Paris* 1753.

(2) *Lib.* 4. *cap.* 3. §. 6.

(3) Præteriri silentio nequit impudentiæ Voltærei, calumniandique æstus singulare exemplum. Is in *diction. Art. Ame* ait „ Saint „ Thomas dans sa question 75., „ dit que l' ame est un forme im„ materielle quant aux opera„ tions, & materielle quant à „ l' etre .... aussi est il l' Ange „ de l'ècole. „ Intelligo equidem contemnendam, non refutandam hominis impudentiam, qui omni amisso pudore, projectaque fide, talem potuerit moliri calumniam, quam adeo facile esset detegere. Sed sit hæc philosophici fulgoris nostram illustrantis ætatem insignis gloria, qui tot exornat laudibus talem hominem. Ne quis interea, quod sæpe evenire cognovi, ipsa scribendi confidentia decipiatur, moneo, ut quæstionem illam 75. 1. *part. Theologicæ summæ* legat, quæ huc tota esset transferenda, cum tota sit, ut animam spiritualem, incorpoream esse substantiam efficiat: tum & *quæst. seq.* ubi de anima, prout corporis forma est, sic agit, ut *art.* 1. demonstret „ *si anima corporea esset, fieri non posse, ut esset corporis forma* „ deinde quæstiones seqq. usque ad 90.: ne præterea memorem *quæst. de spiritualibus creaturis*; quæque fuse disputat *lib.* 2. *con. Gent. c.* 46. & sqq. usque ad finem libri.

(4) Statuit ipse Lockius *lib.* 2. *cap.* XI. §.10. & 11. loc. cit. „ que „ la puissance de former des ab„ stractions, & la faculté de for„ mer

judicando, concludendo; universalia concretis, præterita præsentibus, remota propinquis, futura præteritis, utilia honestis &c. conjungendo, ut diversæ omnino a corpore naturæ esse, a quo certe nihil horum exhiberi ei potest, manifestissimum sit. Ac bene Cicero (1) docuit, *vim hanc, quæ excogitat, & investigat occulta, ex terrena, mortalique natura concretam esse non posse .... Nihil enim his in naturis inest quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat &c.* At vero facultas altera, quum neque existere sua sponte possit, (nam esset substantia) adeoque nec se sola agere; neque sejuncta a materia existere, in qua deberet sic recipi, ut materia ipsa efficeretur per eam cogitans (est enim omnis naturalis facultas, atque potentia instituta ad aptum reddendum subjectum, in quo recipitur, ut agat per illam ea, quæ ipsius sunt accommodata naturæ (2)): consequens plane esset, ut & reciperetur in corpore ratione corporea, hoc est extensa, & divisibili; & ab corpore, corporeo quidem modo, actui traderetur, quod rursus est, extenso, divisibilique modo. Atqui hæc in ea ipsa recidunt, quæ ex ipso Lockio refutavimus.

Non jam his immorabor, quæ Lockius Adversario illi suo (3) respondens, ait; posse perinde Deum materiæ motum, vegetationemque, & sensum adjungere (4), atque cogitan-

„ mer idèes genèrales est ce qui „ met une parfaite distinction entre l'Homme, & les Brutes ... „ & un si vaste distance entre elles „. Agit de his mirifice, ut solet, S. Thomas 1. *par. quæst.* 78. *art.* 4. *sqq.*: *in disput. de Anima quæst. unica*: *& in* 3. *de Anima*. Adeas etiam Cl. Condillac. *Essai sur l'origine des connoissances par.* 1. *sect.* 2. *chap.* 5., *&* *sect.* 4. *&* 5. *chap.* 2.

(1) *Lib.* 1. *Tusc. quæst.*

(2) S. Thomas 1. *par. quæst.* 77. *art.* 5. „ Illud est subjectum operativæ potentiæ, quod est potens operari. Omne enim accidens denominat proprium subjectum. Idem autem est quod potest operari, & quod operatur: unde oportet, quod ejus sit potentia, cujus est operatio; ut etiam Philosophus &c. „

(3) Le Docteur Stillingfleet. Vid. ibid. *chap.* 3. §. 6. in nota.

(4) Refutat hæc ipsa in Voltæreo Mr. L' Abbè François *tom.* 2. *Observations sur la Philosophie de l'Histoire &c. Art.* 2. *Ame*, *art.* 14. *Betes*; *art.* 67. *sensations*.

gitandi virtutem. Tantum enim discriminari hæc inter se se evidentissime cognosco, ut prima illa ne dum materiæ repugnent, nequeant immo absque materia intelligi: rationem vero, cogitationemque materiæ ipsi prorsus repugnare jam constat: in illis non remanent dumtaxat ea, quæ essentialia vult esse materiæ attributa; sed præterea existere aliter nequeunt, quam in attributis ipsis materiæ: in cogitatione autem mutuo hæc se se evertere, nec posse hanc stare cum illis dilucide deprehendo. Non igitur Lockius satis se sincere habet, quum ait (1), ea solum de causa negare nos pofse Deum conferre cogitationem materiæ, *quia nec contineatur cogitatio in ejus essentia; nec intelligatur a nobis, qua id via possit effici.* Non, inquam, ea est ratio; sed plane illa, quæ contradictionem, certissim amque exhibet pugnam inter perspectas materiæ proprietates, ipsamque cogitationem. Sane vero nec motus, nec vegetatio, neque rotunditas, aliaque sexcenta continentur in materiæ essentia; equid est tamen quod non idcirco hæc illi repugnare decernimus? Nimirum quia nullam inferunt pugnam, eique sunt accommodata. Nec rursus id solummodo a nobis non intelligi dicimus; sed contra certo, evidenterque intelligimus repugnare, seque mutuo evertere. His igitur nos permoti Lockianum refellimus delirium, non confictis illis ab se causis.

XXXII. Sed ecce Voltæreus (2) in scenam redit, cum eoque materialistarum turba conclamitantium, cogitare certissime Bruta, ac indubia præbere rationis argumenta, nec tamen immaterialia, nobis fatentibus, esse; quid ergo est,

(1) Ibi. „ Pour prouver cette „ assertion (que Dieu ne peut joindre à la matiere la pensée, la „ raison, & la volition) tout ce „ qu' ils disent se rèduit à ceci, „ que la pensèe, & la raison ne „ sont pas renfermèes dans l' essence de la matiere ... & qu'on „ ne sauroit comprendre comment la matiere pourroit pen-

(2) *Lettres Philos. lettr.* 13.; & in *Diction. Art. Betes*, tum etiam *tom. 2. pag.* 193. *Amusemens litteraires edit.* 1736. quo loco adeo intime, perspicueque sui, brutorumque naturam deprehendisse existimavit, ut vel ipsum proportionis mutuæ gradum determinaverit, „ qui est entre son chien, & lui, est environ celle d' un a cinquante ...

cur adverſus materiæ cogitationem tam acriter decertemus?

Eſt hoc novum Pſeudo-philoſophicæ confidentiæ argumentum, pravæque ratiocinandi methodi. Ergone rem adeo teſtatam, tamque conſenſione omnium (materialiſtis exceptis) firmatam, cujuſmodi hæc eſt de materia cui repugnet cogitatio; hanc rem tantis, graviſſimiſque demonſtratam argumentis; rem, inquam, talem evertere ſe poſſe materialiſtæ ſperant, ſi aliam ei opponant omnium obſcuriſſimam, communiterque ignoratam (1), qualis ea prorſus eſt quæ de brutorum animæ natura agitatur? Quæ iſthæc tanta opinandi perverſitas, ut ea, quæ invictis ſunt confirmata rationibus, quæ ubique recepta, quæ perſpicua, iis oppugnare moliatur, quæ denſiſſimis ſunt obvoluta ignorantiæ tenebris, tantoque ſententiarum diſcrimine incerta? Ergo quum adeo mul-

(1) Præclare ad rem noſtram hæc animadvertit Abbadie *Traitè de la veritè de la Religion Chretienne ſect.1. chap.5.*, adverſarioſque pravæ ratiocinationis redarguit. „ Pourquoi prendroit-on „ pour principe dans le raiſonne- „ ment, la choſe du Monde la „ plus obſcure, & la plus gènéra- „ lement ignorée, qui eſt l' etat „ intérieur des Betes? Que les „ uns en faſſent des automates, „ que les autres &c. . . . . Nous „ laiſſerons - la l'etat des choſes „ que nous ne connoiſſons point, „ & raiſonnant ſur celles que nous „ connoiſſons, nous nous conten- „ terons de conclure &c. „ Cum homo hic præclare fuerit de religione meritus adverſus incredulos, Voltærei effugere licentiam, contemptumque non poterat: at bene vindicatur abMr. Sablons *Les grands Hommes vengées tom.2. pag.1. edit. Amſterd.* 1769. Hanc ipſam hujus rei obſcuritatem Bælius deſcribit in *Diction Art. Rorarius, & Sennert.* Cudwortus autem *Syſt. intel. cap.5.* §. 28.: Buddæus *de Atheis. cap.6.* §. 6. Condillacus *Traitè des animaux*, aliique permulti inaniſſimam demonſtrant eſſe hanc Materialiſtarum argumentandi rationem. Legenda omnino ſunt, quæ apud Lockium loc. cit. *lib. 2. cap.* XI. §.5. innota habentur ad rem hanc pertinentia. Sed licet nolens, Voltæreus ipſe eam agnoſcit, & fatetur obſcuritatem in *diction. Art. Betes*, ubi adeo multas, tamquam inter ſe diſcordes recenſet ſententias. At vero ne ſibi umquam videatur diſſimilis, niſi ubique præbeat improbitatis argumenta, ſic concludit „. Le Philoſophe qui à dit, „ *Deus eſt anima Brutorum* aurait „ raiſon: mais il devoit aller plus „ loin „. Hoc eſt nullum facere blaſphemandi finem. Vid. Mr. L'Abbè François locis citatis.

multis hæc attollatur brutorum natura, ficque demirari materialiftæ foleant cogitandi, ratiocinandique virtutem eorum; afferant nobis brutalis tanti ingenii argumenta, quibus efficiamur certiores, ita efferre fe fe fupra fenfibilia innumerabilem brutorum exercitum aliquando potuifse, ut ad primam omnium cognofcendam, contemplandamque affurrexerint caufam; hunc fuerint admirati præcellentem ordinem rerum; tantafque veritates, certiffimaque fcientiarum principia, demonftrationes, atque proprietates rerum inquirendo deprehenderint. Sed hæc, ut nimis fublimia, atque abftracta prætereamus, nec ulla inquiramus ab illis indicia virtutum, legum, præceptorum, ac morum; nullam inveftigationem veri, inventionemque, aut profecutionem honefti. Iis, quæ fenfibilia funt, immorari fufficiat, ut quanta polleant cogitandi, ratiocinandique virtute intelligamus. Allici quidem delectabili, abfterreri vero noxiis ea video: fed tanta in agendo conftantia, tam immutabili, tam in unaquaque eorum fpecie fibi femper fimili, quin aliquando vel paullulo majus fibi comparaverint commodum, vel ullam umquam pertentaverint viam ad minuenda incommoda; ut certo argumento fit non ratione duci, fed impetu quodam, vel inftinctu (dabit nobis junior quidam vir eruditus veniam ut hac utamur voce, fin minus latina, quum hoc loco ufurpatur, *re* tamen veteribus non incomperta, ipfa vero etiam voce a recentioribus cultioribus non rejecta (1)) atque naturali appeti-

(1) Cl. Auctor exercitationis *De fenfuum ufu in perquirenda veritate edit. Romæ* 1776. *pag.* 58. eliminari vult a cultiori metaphyfica vocem iftam:,, quem ,, tu, inquit, inftinctum prædicas? Cicerone fuiffe, hanc Philofophiæ partem; neque minus eft mihi perfuafum, eum, quem nos inftinctum brutorum vocamus, etfi non voce, quæ minus hic latina effet, re tamen docuiffe, & explicaffe, quum

petitu duci, & agi; finem quidem appetendo, finis vero rationem, atque mediorum proportionem, ordinem, ipſumque motum in finem *non intendendo*, prout S. Thomas (1) diligentiſſime animadvertit. Ecquid ſane eſt, quod nulla huc uſque pactio, nulla ab his fuerit inſtituta conventio, qua collatis ſimul viribus frangerent hominum jugum (quod quidem facillime poſſent) quorum uſque modo poteſtati ſubjecta capiuntur, mactantur, diſcerpuntur? Difficile ne in tanto rationis lumine fuiſset declinare laqueos in aliorum interitu aliquando detectos, præcavere inſidias, aliamque ab ea

„ Commune item animantium„ omnium eſt conjunctionis appetitus.... Sed inter hominem, „ & belvam hoc maxime intereſt, „ quod hæc tantum, quantum„ ſenſu movetur, ad id ſolum „ quod adeſt, quodque præſens „ eſt, ſe accommodat &c.„ Atqui hoc ipſum, inquam, eſt, quod nos inſtinctum vocamus; non igitur *inanis eſt ſine mente ſonus*. Qui ſi diras imprecari ſoli huic voci voluerit: miror, hominem in multa recentiorum lectione verſatum minime advertiſſe, plures *cultioris metaphyſicæ* illuſtratores, ne dum ſignificationem, ſed vel ipſam ſæpe uſurpaſſe vocem. Ecce Cudwortus *Syſt. intel. tom.2. diſſert. de natura genitrice* §. 14.„ Inſtinctus „ animalium, ut apte omnia fiant, „ & cunctas actiones, impellunt, „ & inſtigant. Sic apes animant „ &c.„ Quamquam non dubitem, ſatis ei unum futurum Cl. Condillacum in tractatione illi adjuncta, quam *cedro digniſſimam* jure merito Eruditus noſter *pag. 37. vocat; cuique tamdiu ſtabit bonos, quamdiu metaphyſicæ diſciplinæ vigebunt*, *pag.*78. *not.* 1.: hujus, inquam, viri egregie de *cultiori metaphyſica* meriti auctoritas faciet, ſpero, ne vox hæc a *cultiori metaphyſica expellatur*. Ergo Condillacus eam ſæpiſſime uſurpat vocem; imprimis vero *Traitè des animaux cap.*5. quod ſic inſcribit: *De l' inſtinct, & de la raiſon*. Nec vocem tantum communem nobiſcum habet, ſed & vocis ſignificationem, eamque, quam ibi tradit inſtinctus definitionem, quæ eſt „. L' inſtinct n' eſt que cette habitude „ privée de réflexion„ facile Peripatetici ipſi reciperent; niſi & habitudinem illam *reflexione* ab illis comparatam, vellet, quod dare ei non poſſent; & eundem non deprehenderent inſtinctum in illis etiam brutis, quæ vix in lucem emiſſa, non eam ſibi *diverſis actibus* habitudinem comparare potuerunt, & tamen inſtinctu agi, extra dubium eſſe videtur. Adeat eundem Condillacum *ſect.* 2. *chap.* 4. *Eſſ.i ſur l' orig. de connoiſ. humain.*; & Gerdil. *Recueil de diſſertations pag.*115. *Paris* 1760.

(1) 1. 2. *Quæſt.*12. *art.*5.

ea periculis plena pertentare viam? Cur non tutiora ſibi latibula conſtruunt; cur non commodiora? Cur ad aeris propellendas injurias non ſibi præſidia parant, adque exaturandam famem non terram excolunt, non ſegetes demetunt, non cibos congregant; etſi certus conſequatur eam ob rem multorum interitus maxime quadrupedum, niſi ea ſint, quæ hominum alantur ſolertia?

Corporum membra, ais, non his agendis ſunt accommodata; ipſeque homo, ſi pedis inſtar equini manus haberet, dejectus, ut bruta, jaceret, otioſus, ac ſtupidus (1). Teneo, quod affers. Verum, eccur non potius ex Brutorum agendi organis maxime anguſtis circumſcriptis finibus concludis, quod S. Thomas (2) acute facit, latiſſimum illa inter, atque homines diſcrimen, quo, cum hi ſint ratione prædititi, qua ad diverſa, ac fere infinita ſe ſe ferunt, idcirco *nullis determinatis auxiliis vel defenſionum, vel tegumentorum* alligari debuerant, atque conſtringi; alligari vero, determinarique bruta debebant, utpote ratione carentia, ne videlicet rationis ſimul, membrorumque defectu, quæ propriæ ſpeciei eorum, inclinationibus, appetitionibuſque, ac vitæ conſervationi eſsent accommodata, incredibilis oriretur perniocioſiſſima turbatio, ac certus etiam eorum interitus? Etſi, quam multa moliri, atque perficere bruta poſſent ad ſe tuenda, conſervandaque, ſi propriis uti viribus ad ſuam, non ad hominum utilitatem ratione, conſilio, providentiaque noſſent (3)? Nonne brevi totum delere genus hominum illæ im-

(1) *L'Eſprit. Diſcours 1. chap. 1.*

(2) „ Anima intellectiva quia „ eſt univerſalium comprehenſi- „ va, habet virtutem ad infini- „ apprehenſionem, & virtutem ad „ aliqua particularia determina- „ ta. Sed loco horum omnium „ habet naturaliter rationem, &

imprimis brutorum species possent, quæ maxime usui hominum sunt vel ad arandum, vel ad vehendum, vel ad onera ferenda, quibusque terra ipsa sponte sua alimenta præberet? Sed vereor, ne otio abuti videar.

Ajunt rursus, nonne cognitione frui bruta compertum est, atque judicio, quum & finem videantur sibi præstituere, dum agunt, atque media accommodare fini? Sensibili quidem gaudere cognitione non negamus, ea nimirum, qua, ut scribit Cicero (1) „ tantum, quantum sensu moventur, ad „ id solum, quod adest, quodque præsens est se accommo„ dant, paululum admodum sentiendo præteritum, aut fu„ turum. Homo autem .... cernit principia, & causas re„ rum videt, earumque progressus, & antecessiones non igno„ rat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjun„ git, atque annectit futuras &c. „ Hinc rursus & naturali quodam duci judicio eadem damus, quod ab illo non admodum videtur differre, quo & nos ad bona generatim prosequenda ferimur, & declinanda mala; ipsa duce natura, rationis antevertente judicium. Equid aliud sane poterit esse, nisi naturæ impetus, naturalisque inclinatio ea sit, qua bruta permota, nulla licet præeunte experientia, nullo instituta vel magisterio, vel exemplo, quædam tamen fugiunt, ut E. C. ovis lupum (2), etsi numquam eum antea viderit; alia vero non, ut neque equi, neque bovis &c. declinat occursum? Quid quod eadem semper agant ratione, ut omnis hyrundo conficit nidum, texitque aranea telam, nullo licet

*sur l'intend. hum. liv.2.ch.*xI. §.10. 11; Quamvis plura ex brutis iis sint membris prædita, quæ ad multa ordinate efficienda accommodatissima essent; numquam tamen ea de causa illis uti, potissimum ad abstracta cognoscenda. Consulatur etiam *cap.* 9. *ibid.* §.12. *sqq.*

(1) *Lib.* 1. *de Offic.*, Similia habet etiam Plotinus *Enneade* 3. *lib.* 8.

(2) Eo utitur exemplo S. Thomas 1. *p. qu.* 78. *art.* 4.; *& quæst.* 83. Consulito etiam Montesquieu *l'esprit des loix liv.* 1. *ch.* 1. & Gerdil *Recueil de Dissertation dissert.* 3., quo loco irridet Lockium quædam de psyttaco narrantem, aliaque afferentem exempla omnino conficta, quæque philosophicam dedeceant gravitatem.

licet eas edocente (1); multa etiam appetunt, & diligenter inquirunt, quamvis nullo utilitatis experimento allecta, ut canis, aliæque brutorum species, herbas, morbo, quo interdum laborant, sanando accommodatissimas; multoque plura his similia agunt, quæ brevitate prætereo? Hæc, inquam, quo alio explices modo, quam illo naturæ impetu, quo duci omnia constat ad propriam tuendam, conservandamque naturam? Præstituunt sibi in agendo finem? Finem quidem *imaginatum* (2), non ratione perceptum. Hoc est ab ipsa ducta natura, ut, quod eis bonum, ac delectabile sit, prosequantur, atque sic in illa ferantur, ut nec proprio se opere eo tendere, reflectendo cognoscant, nec mediorum proportionem cum fine consideratione attingant; prout mox memorata agendi constantia tempori, locisque alligata omnino evincit.

Sed facile, adhuc instant, facile ratiocinari, ut homines, possent, si magis perficeretur in illis conformatio membrorum, & aliqua instituerentur disciplina. Nimirum hoc mihi illi simile videtur, si quis diceret: fieri aliquando posse, ut amplificata trianguli area, tandem efficiatur quadratum; aut multiplicatis horologii partibus, novaque donatis figura, ut visionem eliciat; ambuletque truncus, vocesque emittat, si Artificis industria, bruti, vel hominis exprimat formam. Ita plane: non minus discriminantur sensus, & ratio, ac differant ea, quæ diversi generis sunt; quare ut ex his nequit unum effici aliud, quantumvis illud proprio in ordine exornes, atque perficias; ita quamcumque adjungas perfectionem corporeis orga-

(1) Est in annotatione ad *cap.* XI. *lib.* 2. *Lockii de l'entend. &c.* §. 5. similis difficultas Lockio ab Colle Gerdil loc. cit., ubi accuratissime perpendit, quæ solent opponi desumpta ex operationibus bruto-

organis, nec ſpiritualem efficies ſubſtantiam, nec cogitandi ipſi tribues virtutem. Interea vero ecquod tandem erit iſtud membrorum adeo latum diſcrimen homines inter ac bruta, quo illi tantum his præſtent, eaque vincant? Quis neſciat ad humani corporis ſtructuram prope accedere ſtructuram diverſorum brutorum, plerorumque vero etiam multo eſſe noſtris vividiores ſenſus? Igitur illi, qui per *phyſicam*, ut ajunt, *ſenſibilitatem* hoc totum de cogitatione negotium explicari volunt, atque maximo polleant bruta permulta ſenſuum acumine, ad omnemque objectorum ſuſcipiendum appulſum expeditiſſimo; afferant, inquam, hi nobis beſtialis iſtiuſmodi ſcientiæ, profundique ſtudii ſublimes meditationes, ingenioſa inventa, præclara ſcita; eorumque quæ toti hominum generi explorata, certa, rataque ſunt, talem ſaltem cognitionem, quali præditæ ſunt, ſemperque, Cicerone teſte (1), fuerunt præditæ Gentes, quamvis immanitate barbaræ, & efferatæ. Atqui nihil horum poſſunt afferre.

Diſciplinæ vero, inſtitutioniſque defectum, quod poſtremo objiciebant, tale eſt, ut ipſi debeant, qui opponunt, hujus defectus aſſignare cauſam. Nam ſi adeo parum ab hominibus differunt; equid eſt cur nulla ſe diſciplina excoluerint, artem nullam, ſcientiam, mores ſibi comparaverint? Quid quod nonnulla, hominum induſtria, diuturnoque labore ſive in cantu, ſive in ſaltationibus, ſive in aliis his ſimilibus per ſenſibilia ſigna, per plagas, per verbera inſtituta, non res eaſdem docuerunt cetera? Bene itaque Cicero (2) hos redarguens, ait: „ Hi non viderunt, ut ad curſum equum, ad „ arandum bovem, ad indagandum canem; ſic hominem „ ad duas res, ut ait Ariſtoteles, intelligendum, & agen- „ dum eſſe natum, quaſi mortalem Deum „. Cum igitur tantum, tam latum, tam diverſi ordinis diverſæque ſpeciei interſit operationum diſcrimen homines inter, ac bruta; utrorum-

(1) *Lib.2. de nat. Deor.*, tum ſæpe *de Officiis*, *ac de legibus*.
(2) *Lib.2. de finibus*.

rumque vero ſtructura corporum paucis dumtaxat perfectionis gradibus eodem in ordine differant ; adhuc tamen Materialiſtæ pergent inſaniendo affirmare , futurum omnino , ut ratiocinentur bruta, quemadmodum homines ſi eorum corporum ſtructura, corporibus hominum magis acceſſerit? Sit eorum judex Rouſſojus (2) , homo cui cetera irati eſſe nequeant „ . „ Veſtra , Materialiſtæ, eſt philoſophandi improba ratio , quæ „ vos brutis ſimiles efficit . Vel potius ipſi, licet fruſtra , ipſi „ deprimere vos conamini . Ceterum inclinationes ipſæ veſtræ contra profana veſtra clamant principia : cor veſtrum „ ad benefaciendum propenſum, falſam oſtendit eſſe veſtram „ doctrinam . Quid plura ? Pravus ipſe facultatum veſtrarum uſus , vobis nolentibus , excellentiæ earum fidem facit „ .

(3) Emile *tom*.3. *pag*.60.„ Ame „ abjecte , c' eſt ta triſte Philoſophie, qui te rend ſemblable a elles ! Ou plutot tu veux en vain „ t' avilir : ton gènie depoſe contre tes principes ; ton coeur „ bienfaiſant dèment ta doctrine , „ & l' abus même de tes facultes „ prouve leur excellence en depit „ de toi „ .

F I N I S.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 7. Plutarcus	Plutarchus.
8. Rouſſeci	Rouſſoji
16. Acomodatiſſima	Accommodatiſſima
Ibid. in not. *de la religion*	*de la religion &c.* habet
27. Cujuſquam ſuſceperimus	Rei alicujus ſuſcepimus
30. Utilitas obventuras	Utilitas obventura
31. cœcum	cæcum
35. phanatiſino	fanatiſmo
cahos	chaos
38. quin	cur
44. daboque atheis	daboque parumper atheis, nec aſſentiar
48. me magnopere torquet	, ludens dico, me magnopere torquet
60. not. 2. accomodam	accommodare
64. mirifici effectus	mirificos effectus
65. inficiandam	negandam
76. profunditatis	longitudinis
95. nobis ex loco	nobis loco ex
98. ſonus	ſonitus
101. Sane vero.... nec continentur	Sane vero cum nec ... contineantur
102. omnium obſcuriſſimam	omnium, ipſis fatentibus, obſcuriſſimam.

Sicubi Hobbeſium, Bælium, Lockium, Voltæreum, alioſque Scriptores, quorum ſunt, ob errores graviſſimos in quos inciderunt, jure damnati, atque proſcripti libri, legendos dixi; eo ſane dixi, ut ii legerent, quibus per Eccleſiam liceret; nam ab his intelligi legendo poſſe, quam in pugnantes inter ſe, abſurdaſque ſententias abrepti fuerint, quo ſua opinionum portenta, defenderent.